zapomin

ęcey nie od

Bogá záwſze n

przytom dy emy; y lubo nas w

rá ô iego bytnośći przeſtrzegá, że go iednák wzn

my. częſtokroć o nim

STANISLAI LVBOMIRI S. R. I. PRINCIPIS SVPREMI REGNI POLONIÆ MARESCHALLI.

Repertorum

Opuſcula Latina, Sacra, & Moralia.

VARSAVIÆ,
Typis S. R. M. in Collegio Scholarum Piarum.
Anno Domini 1701.

Epist. 65.

QUorundam *scripta clarum habent tantùm nomen, cætera exangvia sunt, Instituunt, disputant, cavillantur. Non faciunt animum, quia non habent. Cùm legeris Sextium, dices: Vivit, viget, liber est, supra hominem est, dimittit me plenum ingentis fiduciæ. In quacunq; positione mentis sim, cum lego hunc*

go hunc (fatebor tibi) libet omnes casus provocare, libet exclamare: Quid cessas fortuna! congredere, paratum vides. Illius animum induo, qui quærit ubi se experiatur, ubi virtutem suam ostendat.

Spumantem dari pecora inter inertia votis
Optat Aprum, aut fulvum descendere monte Leonem.

Eremi Vigren. Eremitar. Camal.

INDEX

Mon. Corona

INDEX
Librorum Operis hujus.

De Reme-

De Remedijs
Animi Humani
Maximæ Veræ
Mentis.

In Quibus

Ea quæ Immortalem ac Æternum Hominem reddunt, Clarè ac evidenter demonstrantur.

LIBER UNUS.

Ad Lectorem.

MVltos Medicos habent Corpora, nullos Animus, cujus multò nobilior cura eſt quàm Corporis, quia in illo immortalitas paratur. Hujus Artis viam Tibi aperimus ô Lector! cum Vate dicentes: *Quid habet Sapiens à ſtulto, vel quid pauper, niſi ut pergat illuc ubi eſt vita.* Ad hanc pervenies, ſi Animi tui curam ſuſceperis. Quo Medico? hic diſces. Quâ felicitate? hic intelliges. Quibus remedijs? lege, cognoſce, & vale.

INDEX CAPITUM Libri hujus.

quòd opus erat venisse Filium Dei in mundum, ut esset unus Ductor ad salutem.

V.

Ostenditur Redemptionis humanæ necessitas, & quòd alter Redemptor esse non potuit, nisi Filius Dei.

VI.

Demonstratur, quòd sicut Creator, ita & Redemptor nullatenus negari potuit, venturusq; erat in carne. Et quæ causa sit quod mysterium Incarnationis tanto tempore in figuris absconditum fuerit.

VII.

Explicantur figuræ venturi Redemptoris & diversorum Patriarcharum promissiones, & signa venientis Messiæ in Iesu Christo quæ promiserunt Iacob, Michæas, Aggæus, & Rex David.

Addu-

VIII.

Adducuntur alij Textus Psalmorũ Prophetici, & explicatur ænigma Salomonis mysticum de Iesu Christo Filio Dei.

IX.

Recensentur prædictiones diversorum Prophetarum de Nativitate Iesu Christi, & de Regno ejus æterno.

X.

Sequuntur in explicatione & alij Textus Prophetarum adventum Messiæ nempè Iesu Christi prædicentes.

XI.

Adducuntur Textus Scripturæ, vitam & mortẽ Christi comprobantes.

XII.

De vitæ æternæ certitudine.

XIII.

Ostenditur medicina fidei ex vera spe æternitatis. Ex fide verò origo amo-

go amoris, & reciprocatio fidei cum amore, & desiderium allocutionis Dei; verusq; modus ac brevis orandi Deum docetur.

XIV.

Quomodo ab actu humilitatis progredi debeat animus ad Actum adorationis Dei, & quo motivo rationis præparare cor debeat ad adorandum.

XV.

Quanta sit vis Actus Fidei, & quomodò animus per fidem Deo jungitur, ostenditur. Atq; exemplũ Actûs fidei demonstratur.

XVI.

De perfectione veri amoris erga Deum, & motivo ejus ac dulcedine cordis ad amorem Dei tendentis. Et quomodò Actus hic amoris Dei exerceri possit, exemplo ostenditur.

XVII.

Ostenditur quod verus effectus amoris Dei sit resignare illi propriam volun-

voluntatem. Et quanta ſit vis reſignationis hujus, & in quo conſiſtat, demonſtratur. Exemplumq́ hujus Actûs nimirum reſignationis per Pſalmum quintum exhibetur.

XVIII.

Quæ & qualia homini à Deo petenda ſint docetur, & modus exemplumq́ veræ & gratæ Deo ſupplicationis oſtenditur, animo humano perutilis.

XIX.

De remedio ac virtute pœnitentiæ, & qualiter infirmus animus ſanari poſſit, & in quo vera realisq́ pœnitentia conſiſtat, oſtenditur.

XX.

De virtute fortis propoſiti intentionisq́ humanæ. Et in quo conſiſtat, quaq́ ratione animus humanus per eam cum Deo conjungatur.

XXI.

Supremum & principale remediū periclitantis animi humani Sacrum Eucha-

Eucharistiæ Sacramentum, cujus sacrosancta virtus ostenditur, & per eam salus humana quibus modis suscipi debeat.

XXII.

De virtute & valore Sacrificij, & qualis usus ejus sit, quale & quantum animi remedium, & quàm pretiosa & efficax vitæ æternæ medicina.

XXIII.

Inter remedia animi recensetur Meditatio, & quàm efficax sit illius fructus, & salutaris animi medicina contra contagium malitiæ ostenditur, modusq; porrigitur.

CA-

CAPUT I.

In Imitatione, Contemplatione, & Cognitione Dei, tota humani animi Dignitas, & Perfectio ostenditur.

I.

SIcut illa maximè præstant cæteris animantibus, quæ sciunt meliùs imitari hominem, ita homines illi sunt cæteris præstantiores, qui sciunt propiùs imitari Deum.

2. Nemo impurus corde Deum familiariter contemplari præsumat: sicut enim fætor in

penetralibus palatij, ita mens impura in contẽplatione Dei. Unde priùs discendũ est benè operari, quàm Deum contemplari.

3. Tractare tamen & discere Deum, etiam immundissimus peccator potest eo fine, quo melius magisq́; ad amandum quærendumq́; Deum accendatur. Sicut enim fieri nequit, ut assiduus deaurator aliquid auri in digitis secum non ferat, sic mens continuò legens vel scribens, vel cogitans Deum, impossibilè est, ut vacua à contactu tantæ bonitatis dimittatur.

4. Contemplatio Dei sinè imitatione, est arbor fructum non ferens, est thesaurus furto absconditus, est abusus non

usus

ufus Dei. Utimur enim Deo obediendo, obedimus operando.

5. Si homo eſt Imago Dei, ergo non imitans Deum, eſt pictura pictum non referens, deridenda, contemnenda, abjicienda, ita ut dici poſſit: *Qui non eſt ſimilis Deo, non eſt homo.*

6. Deum quomodo imitabimur? niſi cognoſcamus; quomodo autem cognoſcetur? ſi eſt incõprehenſibilis. Incomprehenſibilis autem, quia immenſus. Si nos ipſos noverimus, Deum noſcemus: imago enim ejus cùm ſimus, ſi bonos nos noverimus, Deum bonum repræſentabimus, ſi malos, malum.

7. Falſificamus ergo in ima-

gine Deum male agentes, talis enim à nobis depingendus est in nobis, qualis re verâ est. Si verò homicidæ & iracundi sumus, repreſentamus Deum homicidam. Si avari, avarum, si luxurioſi, luxurioſum. Homo (in ſumma) malus, eſt falſa & adulterata Dei imago. O nefas!

CAPUT II.

Animi Dignitas in virtute. Libertas Rebellio rationi & ad Deum per fidem operaq; manuductio.

II.

1. DEUM non poſſumus imitari corpore, quia non eſt corporeus. Imitari ergo poſſu-

possumus, debemusq́; virtute, quia ipse est virtus, imò Dominus virtutum.

2. Tum temporis Deum imitamur virtute, dum cognoscimus in fide & opere.

3. Si non est sensibus assequibilis, ergo sit fide cognoscibilis. Sic Deus per fidem noscetur, Fides per opera. Ipsa enim factis operibusq́; probatur.

4. Qualis in se Deus esse creditur à nobis, talis operibus nostris comprobandus est.

5. Tanta erit inter Deum & hominem Deo similem comparatio, ut & homo dici possit: Parvus Deus, & Deus, maximus homo.

6. Moduli sumus Dei in parvo. Animus humanus, Ty-

pus eſt Dei, quaſi liber à ſummis duobus Magiſtris impreſſus, fide, & opere. Dignus tali ſubſcriptione: *Fides invenit, virtus fecit.*

7. Qualem nobis Deum exoptamus, tales nos Deus ſibi deſiderat: quomodo facilem nobis Deum ſperare poſſumus, ſi nos illi tam difficiles præſtamus.

8. Aſſveſcendum ergo eſt Deo, frangenda eſt voluntas, obfirmandus eſt animus, imò quotidie ad normam reducendus, & ab omni concupiſcentia arcendus, & ad ſe revocandus, fide & operibus.

9. Liberum nobis animum Deus indidit, arbitrium cuncta agendi conceſſit; virtus enim exerceri non poſſet, niſi à libero

bero animo: nec homo imitari Deum poteſt, niſi per virtutem.

10. Homo autem Dominus ſui & Rector, Rex animi & propriæ voluntatis. A Deo, ſenſibus, affectibus, cũctiſq; ſuis paſſionibus præficitur. Cur ergo ſubjugatur à ſe ipſo? Re vera, *cum in honore eſſet non intellexit*.

11. Rebellis igitur rationi animus, captivandus eſt, Deoque tradendus.

12. Ergo fœderati cum Deo contra proprium animum noſtrum colligabimur.

13. Fit autem inter Deum & hominem colligatio, conciliante virtute per reſignationem propriæ voluntatis.

14. Reſignatur autem Deo

voluntas, ad veram de illo fidem, & ad digna suæ imagini opera. Quomodò enim Deo mens jungetur, si de illo vel nihil, vel malè crediderit? Quomodò ostendet, quod in eum credat, si se illi non resignabit? Si jubenti non parebit? Bonitas verò Dei, mala jubere non potest, ergo in bonis operibus voluntas ejus est.

CAPUT III.

Qua ratione & quo Ductore Animus ad veram fidem ducendus est.

III.

1. ANimus si ex sensibus tantùm colliget rationem principiorum, nunquam de supremis fidem veram assequetur,

tur, quia illa sola creduntur quæ sensibus non attinguntur. Non attinguntur verò ideo, quia non sunt ad formam corpoream, sensualemq́; composita, sed simplicia.

2. Mortalibus sensibus, æterna, & immortalia non capiuntur, sed non ideo non sunt quia non capiuntur, sed ideo non capiuntur, quia majora sunt, & subtiliora, quàm à corporeis sensibus capi possint.

3. Mortalia videntur, immortalia creduntur, de quibus non vano Paulus locutus est. Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Non absimile & Philosophus *Nihil esse in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu.* Sensu autem comprehendi

non potest, quod majus sensu est.

4. Animus idcirco in supranaturalibus ad Deum ducendus est, manu fidei, tanquam cæcus, manu Ductoris præeuntis. Si illi dixerit Ductor hic fovea est, aut credendum est, aut cadendum. Nonnè meliùs est credere, quàm cadere?

5. Oculi corporei vident tantùm corporea, sed & oculi rationis nil vident in hac vita, nisi ad similitudinem vel comparationem corporeorum. In supremis verò principijs cæci sunt, & Ductore per manum fidei indigent, ut pergant, mente ad Deum invisibilem. Ductori ergo credendum est, nè cadamus in foveam.

6.

6. Sed primum animi vitiũ eſt, pertinacia, ſoror ſuperbiæ, filia opinionis. Cùm enim homo rationi ſuæ velut lumini confidens ægrè manu fidei duci ſe permittit, cadit in ſenſu ſuo malè ambulans.

7. Sic Ductori ſuo Deo, primus homo in Paradiſo non integrè credens, ſed aperturam oculorum ad ſcientiam boni & mali ſvaſu malitiæ pertinaciùs cupiens, in mortem cecidit æternam.

8. Ab hac ergo imprimis ægritudine fræneticus animus curandus eſt, ut ductorem patiatur.

9. Prima maxima veræ mentis ſit hæc. Animus in mortali corpore clauſus cæcus eſt in æternis rebus, atq; Divinis, & niſi

& nisi credat Ductori suo qui est testis in cælo fidelis, cadet in foveam perditionis. Quamobrem hoc sibi quisq; perpetuum Lemma pectori inscribat: *DVCTORI CREDENDVM.*

10. Sed quis est Testis & Ductor ad cælestia fidelis? Multi enim sunt & esse possunt infideles, falsiq; Ductores velut ebrij & insani ipsiq; cæcutientes, nè dicatur: *Cæcus cæcum ducit.* Ideo fœlix qui verum Ductorem cognoscit.

11. Discamus ergo & concludamus quis verus sit Ductor ad salutem, cui tutò credere valeamus, cui intellectum mancipemus, cui voluntatem nostram resignemus.

CAPUT IV.

Oſtenditur veræ fidei origo, & quòd opus erat veniſſe Filium Dei in mundum, ut eſſet verus Ductor ad ſalutem.

IV.

1. LOngitudo ſæculorũ prælerlapſorum poſt creationem, oblivionem Dei in animos hominum mundanis rebus diſtractorum, primò induxit, ut multi priùs obliti, deinde alij inſcij propriæ originis, Creatorem ignorarent.

2. Facilè erat ignaræ, & inſipienti malitiæ dicere non eſt Deus, ſed difficile erat intellectui ratione prædito non cognoſcere, eſſe debere aliquod Ens ſuperiùs, & omnipotens

tens, per quod tanta producta essent. Qua de re, unũ Deum non invenientes, multos fecerunt.

3. Sed immensa bonitas Divina orbem per diluvium ad unam solam & piam generationem reducit in Nöé, ad quem dignatus est Deus loqui, & illi manifestari. Abrahamo quoque locutus est deinceps, tum Moysi alijsq́; Prophetis, qui Jesum Christum venturum, & de pura Virgine nasciturum manifestè prædixerunt.

4. Jesus ergo in reparationem amissæ salutis per hominem ex sola misericordia Divina promissus est Patriarchis, deinde per Prophetas gentibus universoq́; orbi prædictus est. Hic cum esset una cum

Deo

Deo Patre & Spiritu Sancto, ab æterno unus Deus, videlicet Verbum sive Filius Patris, elegit sponte assumere humanum corpus, & per passionem effusionemq; sui sangvinis, ac demum per ipsam mortem placare Deum Patrem suum omnipotentem, ut genus humanum à lapsu mortis æternæ in vitam æternam emanciparet.

5. Idq; nullo respectu, nisi solo amore ab immensa bonitate promanante. De quo testatur Isaias Cap. 53. *Oblátus est quia ipse voluit.* Ac deinceps alio loco dicit: *Verè langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum quasi leprosum, & humiliatum, & percussum à Deo. Ipse autem vulneratus est propter iniquita-*

quitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Livore ejus sanati sumus, disciplina pacis nostræ super eum. Omnes nos erravimus quasi oves, unus quisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum &c.

6. Scivit Propheta impossibilem fore rem ad credendum, ut Filius Dei de cælo veniret, & pateretur in humana carne. Quamobrẽ incipit sermonem his verbis: *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* Deinde sequitur prophetisans his verbis: *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.*

7. Non potuit ergo esse Jesus Filius Dei nisi optimus, non potuit dare majus signum boni-

bonitatis ſuæ, niſi redimendo à morte æterna. Non potuit efficaciùs redimere à morte hominem, niſi ipſe moriendo.

8. Nam homo cùm eſſet imago Dei, Filius quoq; Dei cum eſſet imago Patris, ad humanum genus, (ex quadam velut affinitate ſimilitudinis ſuæ per æternum ſuæq; bonitati proprium amorem) converſus, nè quidquam perderet ex eo quod dedit ei Pater, humanitatem induere spontè libenſq; elegit, ut Ductor eſſet hominis ad ſalutem.

9. Potens quidem erat Deus ſalvare hominem ſolo verbo, ſicut & ſolo verbo creavit cùm eſſet omnipotens, ſed quia eo fine hominem creavit, ut ſuis proprijs operibus meri-

tiſq;

tisq; datam sibi vitã æternam servaret, liberoq; arbitrio eum donavit, non ulla vi eum adegit ad virtutem, non omnipotentiâ suâ serviliter strinxit, ita etiam lapsum non violenter à morte eripere destinavit; sed adæquatis peccato meritis, quibus cùm homo par non esset, ipse Deus in persona Filij fit homo, ut pro humanitate Divinitati satisfieret. Tali ergo Ductori nonnè credendum?

CAPUT V.

Ostenditur redemptionis humanæ necessitas; & quod alter Redemptor esse non potuit, nisi Filius Dei.

V.

1. HOminem ſibi ſimilem, id eſt ad ſimilitudinem ſuam Deus creavit, ut vultus ejus reſponderet Deo, vultus autem intelligitur animi non corporis. Vultus Dei eſt virtus, vultus quoq; hominis interni, voluit Deus ut eſſet virtus, ſed virtus Divina libera eſt, virtutem quoq; homini liberam dedit, ut eſſet reciprocatio Divinæ virtutis ad humanam, humanæ ad Divinam, Creatoris ad creaturam rationalem, & creaturæ rationalis ad Creatorem. Ut ſicut Deus libera voluntate & bonitate hominem produxit, ita homo libera voluntate & virtute Deo reſponderet operibus. Quomodo autem liberè reſpondiſſet, ſi illum abſoluta

pote-

poteſtate non ullis meritis humanitatis ad vitam revocâſſet. Sed quæ merita humana in tantum valuiſſent, niſi Deus ipſe hominem induiſſet?

2. Deus ergo vi & abſoluta ômnipotentiâ ſua hominẽ redimere noluit, nam virtus non datur per vim, quia debet eſſe actus liberi animi virtus, nemo verò ſalvatur niſi per virtutem. Homo verò ſua virtute vitam ſibi æternam reddere non potuit, quia ſolus vitæ dator eſt Deus. Amittere potuit homo, verùm reddere non potuit niſi Deus. Sed ad hæc ſibi reddenda homo non potuit fieri Deus, ſed Deus potuit fieri homo, & quia Deus mori non potuit, ideo Deus fit homo, ut per medelam

tantæ

tantæ mortis, tanta mors tolleretur.

3. Sic igitur libera virtute sponte ut homo, humanis liberisq; meritis vitam humano generi reddidit, ideoq; post redemptionē mortemq; suam, humanum corpus animamq; non amisit, sed cum eodem corpore & anima sedet ad dexteram Dei Patris, fragilis humanitatis corporeæ æternum in cælo pignus, nunquam amittendæ amplius in universum per illum vitæ æternæ.

4. O felix & ineffabile Divinæ bonitatis stratagema! hic solus erat securusq; modus retinendæ in perpetuum vitæ æternæ, ut Deus in corpore humano esset: nisi enim humanitas Divinitati juncta unione

in cæ-

in cælo radicem haberet, jam in terris centies milliesq́; malitia noſtra fructum tantæ ſalutis, iterum iterumq́; perdidiſſet.

5. Ideo providens miſericordia, nè vitæ efficaciter redditæ, immutabilis ſecuritas ampliùs nobis efflueret, fontem vitæ noſtræ in cælo perennem ſtabilivit à dextris ſuis.

6. Nos verò jam quot homines ſumus, tot rivuli inexhauſti fontis vitæ de cælo fluentis. Quapropter fonti ſuo ſimili puritate ſervandi. Per peccatum enim reſcindimur à fonte, rejungimur verò per pœnitentiam.

7. Duxit nos igitur Chriſtus ad ſalutem, primùm meritis ſuis proprijs, deinde operibus

no-

noſtris per relictam nobis veram doctrinam fidei & vitæ.

8. Hic ergo verus eſt Ductor ad ſalutem, cui credendum eſt. Hic de ſe tale dedit teſtimonium: *Ego ſum reſurrectio & Vita, qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet.* Huic ergo credendum eſt, in fide quod docuit, & obediendum in opere ſicut jubendo reliquit.

CAPUT VI.

Demonſtratur, quòd ſicut Creator, ita & Redemptor nullatenus negari potuit, venturusq́ erat in carne. Et quæ cauſa ſit, quòd myſterium Incarna-

carnationis tanto tempore in figuris absconditum fuerit.

VI.

1. SIcut mens vera ratione prædita, nullo modo Creatorem negare poteſt, nec nobis id probandum eſt, cùm non ſit humani intellectûs, ratione capere vel deſcribere Deum, ex magnitudine verò ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri. Ita nec Redemptorem quiſpiam negare poteſt, quòd hic non ſit Jeſus Chriſtus, quē in hunc mundum de pura Virgine Maria natum in Bethleem ſcimus, & trigeſimo tertio ætatis ſuæ anno (imperante Tyberio) crucifixum pro ſalute generis humani verè credimus,

mus, ſicut Evangeliſtarum hiſtoria teſtatur abundè.

2. Hic ipſe eſt & non alius, expectatio gentium, à Judæis non agnitus Meſſias, verus Ductor ad ſalutem. Qui ab origine mundi poſt lapſum Adami promiſſus fuit, à Deo Patriarchis, & à Patriarchis ſub figuris adoratus, ſemperq; in fide antecedente expectatus eſt.

3. In figuris autem ideo, adventus Meſſiæ abſconditus fuit, nec apertè revelatus, nè ante tempus, incomprehenſibile, & vix credibile Divinæ Incarnationis myſterium, in deriſum & blaſphemias incredulorum, & inſipientium, perverſorumq; hominum abiret: priùs à terrena malitia contem-

ptum, quàm à cælesti bonitate adimpletum.

4. Si enim prophetisanti de interitu orbis per diluvium Nòé, dum fabricaret Arcam minimè credebatur à perversis; ut legitur Gen. 6. *Quid de Incarnatione Dei dictum fuisset ab insipientibus, & blasphemis derisoribus?* Quæ tanti tamq; adorandi mysterij dignitas? si per tot millia annorum, quæ Incarnationem Dei antecessêrunt, garrulis tantùm ignorantium aculeis sine fructu patuisset.

5. Quamobrem quisq; rectæ rationis judicijq; capax facilè consentire potest, non debuisse propalari secretum Dei, nisi fidelibus & dignis æstimatoribus gratiæ, quibus solis

reve-

revelatum erat. Cæteri autē quàmvis adhuc Jeſum Chriſtū neſcientes implicitè quidem adorabant, & mira Dei bonitate & patientia velut parvuli ad eſcam à Genitore decepti, in figuris tantùm hoc expectatum ſalutis pharmacum accipiebant, in ænigmate ſolùm Redemptorem adorantes.

6. Quid oportebat Deo cū Idololatræ in deſerto Iſràélitæ peccaviſſent, ut Deus conflare ſerpentem æneū Moyſen juberet? non illis certè pro Idolo exaltari ſerpentem voluit, quos pro Idolis caſtigabat, ſed pro ſigno: textus enim libri numerorum ſic ſonat: locutus eſt Dominus ad Moyſem, *Fac ſerpentem æneum, & pōne eum pro ſigno, qui eum*

aſpexerit vivet Num. 21. Si ergo pro ſigno exaltatus ſerpens erat, ergo non fuit ſignum ſive figura alicujus rei ordinariæ, ſed ſummi, & grati Deo myſterij, propter quod Deus quodammodo ſtringebatur, ad dandam aſpicientibus vitam. Signum hoc explicat ad Nicodemum in Evangelio Joan. 3. ipſemet Jeſus Salvator dicens, Crucifigendumq; ſe pro ſalute noſtra prædicens. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

7. Hoc myſterium Incarnationis Hebræi Patriarchæ & Rabbini in Arcano notum ſibi

colu-

coluerunt, unde non immerito Chriſtus eidem Nicodemo velut Rabbino Hebræorum ignorantiam de his quaſi admiratus exprobravit, dicens. Joan. 3. *Tu es Magiſter in Iſràël, & hæc ignoras?* Quaſi miraretur illum neſciviſſe vel non advertiſſe, quod apud omnes fidei Magiſtros jam tritum erat, nimirum Salvator venturus, & expectatio Patrũ Gentiumq́; Jeſus Chriſtus pro ſalute humana moriturus.

CAPUT VII.

Explicantur figuræ venturi Redemptoris, & diverſorum Patriarcharum promiſſiones, & ſigna venientis Meſſiæ in

Iesu Christo, quæ promiserunt Iacob, Michæas. Aggæus, & Rex David.

VII.

1. PRomissiones & figuræ adventuri Jesu Christi apud Patriarchas multæ fuerunt, sed præcipuè in sacris Hebræorũ libris, quæ nunc collecta idiomate græco Biblia vocantur. Plurima existunt ut Isaac per manus Patris Abrahæ immolatus, Agnus absq; macula Exodi 22. sacrificandus, & sangvine ejus illiniendi postes domorum, & plurima alia Salvatorem venturum figurantia.

2. Insolubile autem præ cæteris contra negantes Judæos extat argumentum, quod Jacob Patriarcha moriendo propheti-

phetiſans prædixit, his verbis: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de ſæmore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Gen. 49. Quod & re ipſa ſucceſſit; nemo enim Regum de ſemine Juda poſt adventum Chriſti regnavit in Judæa, uſq; ad hodiernum diem. Quod & hiſtorijs evidenter palpari probariq; poteſt.

3. Idem quoq; Jacob moriens tanquam expectans ſalutem redemptionis per Meſſiã exclamavit: *Salutare tuum expectabo Domine.* Gen. ibidem cap. 49.

4. Quod & Michæas Propheta ſermone ſuo comprobat dicens: *Dabis veritatem Iacob, miſericordiam Abraham, quam*

jurâſti Patribus noſtris à diebus antiquis Cap. 7. Quod & Zacharias Pater Joannis Cantico ſuo confirmat. Lucæ 1. *Ius jurandum quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum daturum ſe nobis.*

5. Hoc & aliorum Prophetarum antiquiſſimorum teſtimonijs prædictum eſt, ſicut & Aggæus Propheta morientis Jacobi verba confirmat Cap. 2. *Veniet deſideratus cunctis gentibus.*

6. Michæas quoq; Propheta alio loco de Chriſto loquitur Cap. 5. *Egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Hoc non de homine loqui potuit, quis enim mortalium initium habet ab æterno niſi Verbum Patris, Filius Dei?

7. Hoc ipſum Rex David pro-

prophetiſans decantat: *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te* Pſal. 109. At quis hominum unquam ante Luciferum genitus fuit?

8. Idem Pſal. 71. de illo dicit: *Permanebit cum ſole & ante lunam; & ibidem alio loco: ante ſolem permanet nomen ejus.* Quæ non de homine dicta ſunt, cujus nomen ante ſolem exiſtere non potuit.

9. Sed & idem in eodem Pſalmo prophetico ductus ſpiritu incipit his verbis: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.* Quis igitur eſſe potuit Dominus Regis David, quem ipſe Dominum vocat? Regis Do-

minus alter eſſe non potuit niſi Deus, cui Dominus Domino locutus eſt? niſi Deus Deo. Sed duos Deos non habebat David, ergo unus Deus habuit plures perſonas. Quãobrem manifeſtè videtur, quòd Deus dictus Dominus David, locutus eſt ad perſonam filij ſui ab æterno ante Luciferum geniti.

10. Quem textum Chriſtus ipſemet teſte Evangelio Matthæi Capite 22. explicavit clarè Judæis, quod Jeſus, dictus Filius David, eſſet Filius Dei, dicens: *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus eſt?* Plenè ergo cognoverunt Judæi, & capaces redditi ſunt, quod fuiſſet ſermo David de Meſſia Filio Dei ex ſemine David naſcituro. Undè ait

idem Evangelium Matthæi Capite 22. ſequentibus his verbis: *Et nemo poterat ei reſpondere verbum, neq; auſus fuit quisquam ex illo die eum interrogare ampliùs.* Sciebant enim Rabbini textum hunc de ſolo Meſſia fuiſſe, & ideo confeſſi ſunt ſilentio, quòd clarè fateri noluerunt prædominante pertinatiæ malitia.

11. Sed & ipſe Deus per Iſaiam Cap. 66. de ſe locutus eſt dicens: *Numquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam? dicit Dominus. Si ego qui generationem alijs tribuo, ipſe ſterilis ero? ait Dominus Deus tuus.* Deinde antecedenter iterum ſecum loquens Propheta admirabundus exclamat: *Quis audivit unquam tale? & quis vidit*

huic

huic simile? Ac denuò rem ipsam quasi pro miraculo referens sic loquitur: *Antequam parturiret peperit, antequam veniret, partus ejus peperit Masculum.* Quod de æterno verbo ante omnia sæcula genito priùs in Divinitate, quam in humanitate, verè locutus est Propheta.

12. Quid autem sonent verba illa? *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Psal. 109. Nisi imprimis victoriam illam in cælis ab æterno de superba Angelorum turba in terram projectorum decantatam, qui revelatam Filij Dei incarnationem non adoraverunt, à Spiritu Sancto per David hoc in loco insinuatam. Quod & Joannes in Apocalypsi attigit repræsentans Angelos

lós fideles his verbis triumphantes. *Nunc facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus, quia projectus est serpens ille antiquus &c.* Apoc. 12. Ac deinde paulò post ibidem ait: *Et ipsi vicerunt eum propter sangvinem Agni.* Agnus autem est Jesus Christus sangvine suo per passionem & mortem scelera nostra abluens, de quo Propheta Isaias testatur Cap. 53. ver. 7. dicens: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutéscet, & non aperiet os suum.*

13. Deinde quasi explicare volens, quis hic talis esset, qui quasi Agnus ad occisionem ducetur, addidit his verbis: *Generationem ejus quis enarrabit?*

Isaiæ

Iſaiæ 53. Nimirum per generationem inenarrabilem innuere *volens magnitudinem* ejus Divinam, & deſcendentiam cæleſtem, ac de eo impoſſibilem enarrationem humanam, *vix credendo parem, & ideo* dixit David: *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedũ tuorum.* Deſcribere ſcilicet per hoc volens victoriam illam æternam, non modo de infidelibus Angelis, ſed & hominibus inimicis gloriæ Filij Dei ſedentis ad dexteram ſuam. Unde introduxit propheticè dicentem Filio ſuo Deum. Sede à dextris meis, donec conſumetur victoria de omnibus inimicis tuis, id eſt infidelibus, & adimpleatur numerus prædeſtinatorum ad damnationem in ſcabel-

bellum pedum tuorum. Sicut implebitur & numerus electorum in ſplendoribus Sanctorum ad æternam gloriam.

14. Quod & Joannes in Apocalypſi Cap. 17. non abſimili ſenſu locutus videtur, dum ait: *Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorum eſt, & Rex Regum, & qui cum illo ſunt, vocati electi & fideles.* Tali ergo Domino ait David: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Et hoc fuit principium in die virtutis Filij Dei in ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum geniti. Idemq́; eſt illud quod Joannes teſtatus eſt Cap. 1. *In principio erat Ver-*

Verbum, ac deinde: *Hoc erat in principio apud Deum.*

CAPUT VIII.

Adducuntur alij Textus Psalmorum Prophetici, & explicatur ænigma Salomonis, mysticum de IESV Christo Filio Dei.

VIII.

1. Immensum esset planè volumen, qui omnes Psalmorum David Propheticos de Christo Filio Dei sensus explicare, & palpare niteretur, uti illa sunt. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Psal. 2. Deinde alio loco: *Misit verbum suum, & eripuit eos ab omnibus interitionibus eorum.* Psal. 106.

Ac

Ac deinde: *A summo cælo egressio ejus.* Psal. 18. *Speciosus forma præ filijs hominum.* Psal. 44. *Deus manifestè veniet species decoris ejus.* Psal. 49. *Semel juravi in Sancto meo &c.* Psal. 88. Et plurima alia quæ in libro Psalmorum inveniri possunt.

2. Hoc autem inter cætera singulare, & quod Salomon Filius David plenus infusæ à Deo sapientiæ libro Proverbiorum Cap. 30. instar arcanæ quæstionis vel ænigmatis mystici proposuit, cujus talis est textus. *Quis ascendit in cælum atq; descendit, quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen est ejus? aut quod nomen Filij ejus? si nosti.* Hæ inter-

terrogationes repetitæ à Salomone, non ſunt de alio, niſi de Deo. Quis enim potuit ſuſcitare omnes terminos terræ, aut continere ſpiritum in manibus ſuis, niſi ſolus Deus. De Deo igitur hoc ait. Dum autem dicit: *quod nomen eſt ejus?* aut, *quod nomen Filij ejus?* id dicit de nomine Filij Dei in arcano habiti, id eſt de venturo Meſſia JESU Chriſto, Filio Dei genito ex Patre æterno ante omnia ſæcula.

3. Sicut & in Eccleſiaſtico Cap. 15. legitur non abſimile. *Invocavi Dominum, Patrem Domini mei.* Ergo invocatus Dominus Pater Domini ejus, non potuit eſſe niſi Deus Pater Dei Filij, homo enim non invocatur.

4.

4. Sic & Salomon dixit: *Quod nomen est Filij ejus?* per quod notatur habuisse certam scientiam de adventu Filij Dei. Non modò per Caballam sivè traditionem Patriarcharum, sed etiam particulariter ex infusa sapientia Propheticoq; spiritu, tanto magìs quod in principio hujus capitis dicit, unde hanc parabolam sumpserit Proverb. ibid. versu primo his verbis: *Visio quam locutus est vir cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait.* Quod denotat hanc scientiam de Filio Dei, & nomine ejus, à tali viro cum quo Deus morabatur, per traditionem ad eum devenisse, vel de se locutum fuisse, quòd Deus illi revelaverit, possibilè quo-

quoq; hunc virum de quo ait, ipſum fuiſſe, ſubticens tamen nolenſq; ſe ipſum nominare per modeſtiam, unde poſſibilè eſt eum ideo ſic ſcripſiſſe.

CAPUT IX.

Recenſentur prædictiones diverſorum Prophetarum de Nativitate IESV Chriſti, & de Regno ejus æterno.

IX.

1. CHriſtum naſciturũ multæ prophetiæ anteceſſerunt, quæ nemini niſi Chriſto JESU applicari poſſunt: unde non immerito Habacuc Propheta exclamavit Cap. 3. verſu 18. *Ego autem in Domino gaudebo,*

debo, & exultabo in Deo IESV meo.

2. Et Zacharias Cap. 9. exclamat prophetico ſpiritu. *Exulta ſatis Filia Sion, jubila Filia Ieruſalem, ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator.*

3. Et Iſaias Deum loquentem de verbo ſuo ſivè Filio introducens, ſic ait Cap. 55. *Sic erit verbum meum, quod eggredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunq; volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.*

4. Atq; iterum Cap. 25. idem Iſaias ſic prædicit: *Et dicent in die illa, ecce Deus noſter iſte, expectavimus eum, & ſalvavit nos, iſte Dominus, ſuſtinuimus eum, exultabimus & lætabimur in ſalutari ejus.*

5. Sed & clariùs adhuc ejusdem Isaiæ Prophetæ dictum extat, de nascituro JESU Christo Filio Dei Cap. 9. ubi ait. *Parvulus natus est nobis, & factus est Principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.*

6. Quos JESU Christi titulos ab Isaia descriptos multi confirmaverunt Prophetæ, ac, quo ad primum, nempè *vocabitur Nomen ejus Admirabilis.* Nonnè David idem ait Psal. 8. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra?*

7. Si verò Isaias iterum vocat illum *Consiliarium.* De hoc ergo rectè idem Isaias loquitur Cap.

Cap. 40. *Quis audivit ſpiritum Domini, aut quis Conſiliarius ejus fuit?* Nullus certè niſi hic, de quo & Salomon Libro Sapientiæ loquitur. *Cum eo eram cuncta componens.*

8. Si appellat Jeſum *Deum Fortem*, & alio loco nempè Cap. 40. confirmat dicens: *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur.* Et David Pſal. 23. nonnè idem ait de illo: *Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens.*

9. *Patrem quoq; futuri ſæculi*, non immerito vocat illum Iſaias, ſi & alio loco nimirum Cap. 63. idem confirmat dicens: *Tu Domine Pater noſter, Redemptor noſter, à ſæculo nomen tuum.* Et Daniel de novo Jeſu Chri-

Christi Regno prophetisat dicens Cap. 2. *Suscitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur.*

10. Aggæus quoq; Cap. 2. novũ JESU Christi Templum prædicit, dicens: *Adhuc modicum est, & ego commovebo cælum. Veniet desideratus cunctis gentibus, magna erit gloria domûs istius novissimæ, plùs quàm primæ.* Quam novissimam JESU Christi Paternitatem iterum confirmat Isaias introducens Filium Dei loquentem sic: *Ego primus, & ego novissimus; & absq; me non est Deus.* Ad hunc sensum exclamat quoq; David Psal. 144. *Exaltabo te Deus meus Rex, Regnum tuum, Regnum omnium sæculorum, & Dominatio tua in omni generatione & generationem.*

11.

11. *Principem quoq; Pacis* Jeſum Chriſtum vocat Iſaias, velut Meſſiam venientem in pace, non ſtrepitu, vel violentia, ſed amore, & exemplo fideles convertentem. Sicut teſtatur de eo & Zacharias Cap. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator, aſcendens ſuper aſinam, & loquetur pacem gentibus.*

12. De quo & David decantat Pſalmo 75. *Factus eſt in pace locus ejus.* Et iterum Pſal. 84. *Loquetur pacem in plebem ſuam*: atq; denuo Pſal. 71. *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis.* Quod ipſe finaliter Iſaias iterum confirmat Cap. 9. *Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis.*

CAPUT

CAPUT X.

Sequuntur in explicatione & alij Textus Prophetarum adventum Messiæ, nempè Iesu Christi prædicentes.

X.

1. NOn inferior est cæteris & Prophetæ Baruch de Christo Jesu in mundum venturo prophetia dicens Cap. 3. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum, hic adinvenit viam disciplinæ. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus.*

2. Non minori considera- tione digna, & alia Isaiæ dicentis Prophetia, idem quod Baruch confirmat Cap. 45. *Tantùm in te est Deus, verè tu es Deus ab-*

us abſconditus, Deus Iſràël Salvator. Quod attributum nulli homini convenit, præter Filium Dei.

3. Eſt & aliud præclarum ejusdem Iſáiæ de Filio Dei promiſſum Cap. 26. *Præcipitabit mortem in ſempiternum. Ecce Deus noſter iſte, expectavimus eum, & salvavit nos.*

4. Quem & ipſe Deus per Zachariam Cap. 12. ſe promiſiſſe teſtatur, ſic dicens: *Effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Ieruzalem ſpiritum gratiæ & precum, & aſpicient ad me quem confixerunt.*

5. Hunc & Sancti Patres in Lymbo expectantes, & Patriarchæ etiam viventes deſiderabant Salvatorem, ſicut ait Iſaias Cap. 45. *Rorate cæli de ſuper,*

& nubes pluant justum. Et *aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Per ros enim cæleste de super pluens intellexit descendentiam ejus de cælo cælestem sive Divinam, sicut alio loco idem confirmat nempe Cap. 55. dicens: *Quomodò descendit imber, & nix de cælo inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit. Sic erit verbum meum quod egredietur.* Per imbrem ergo & nivem de cælo descendentem confirmat eandem descendentiam ejus cælestem. Per apertionem verò terræ intellexit Propheta nativitatem humanam de Virgine Maria. Germen enim Salvatoris erat de semine David ex Virgine Maria.

6. Unde in Libro Numero-

rum

rum Cap. 24. ſimile Propheticum dictum legitur: *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſràél.* Stellam ex Jacob intellexit Propheta ob puritatem Virginem Matrem Chriſti, ex generatione Jacob ortam, & Virgâ de Iſràél nil aliud deſignatum eſt, niſi Virgo. Unde non immeritò Iſaias ait Capite 11. *Egredietur Virga de radice Ieſſè, & flos de radice ejus aſcendet.* Flos verò hic eſt Jeſus Chriſtus, de quo in Canticis Cap. 2. myſticus cecinit vates: *Ego flos campi, & lilium convallium.* Non extra rem, ideo de Rore cæli, & de germine terræ, venturum Salvatorem allegoricè induxit Iſaias, de cælo enim ejus Divinitatem, ?d eſt de Deo Patre; de

terra ejus humanitatem, id eſt de Virgine Matre, conjunctam in illo eſſe decantat.

7. Quod iterum & alio loco idem Iſaias Cap. 4. non diſſimili ſenſu confirmat. *In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio his qui ſalvati fuerint.* Quo dicto nihil magis adæquatum legitur, Jeſus Chriſtus enim, verè eſt germen Domini, id eſt Filius Dei, in magnificentia & gloria, quia ſedens ad dexteram Patris. Fructus quoq; terræ ſublimis eſt re verâ, fructus ventris Mariæ, ideo fructus terræ, quia homo; fructus terræ, quia noſter, quia in corpore noſtro, quia fructus ſalutis. Fructus terræ, quia ut ait

David

David Psal. 84. *Veritas de terra orta est.* Fructus in summa terræ sublimis, quia de terra ad cælum ascendit, sedetq; ad dexteram Patris.

CAPUT XI.

Adducuntur Textus Scripturæ vitam, & mortem Christi comprobantes.

XI.

1. NOn sufficiebat æternæ Dei sapientiæ, Filium suum Patriarchis promisisse, sed adventum ejus, intimiùs Prophetis demonstravit, & Præcursorem Joannem misit in testimonium; sciebat enim neminem de se ipso testem esse posse, ideo Joannem suscitavit,

vit, & præmisit, ut de Filio suo daret testimonium. Si enim falsus fuisset Joannes, nonnè satiùs de se ipso dixisset, se fuisse Filium Dei. Avida enim superbæ famæ malitia, ægrè patitur alijs tribuere, sibiq; potiùs quàm alijs adscribere majora præsumit. Unde & de Joanne non aliud judicium ferri potest, quàm quòd veraciter testatus fuerit. Nullum enim interesse se habuisse in eo argui potest, quem verum & legitimum cæli testem Isaias Cap. 40. prædixit. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Et Malachias prophetisans signum dedit testimonij ejus Cap. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, &*

præ-

præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.

2. Venit ergo Joannes, ut annuntiaret Regnũ Filij Dei, quod prædixit Daniel Cap. 2. *In diebus autem Regnorũ illorum, suscitabit Deus cæli Regnum quod in æternum non dissipabitur, & Regnum ejus alteri populo non tradetur. Comminuet autem, & consumet universa Regna hæc, & ipsum stabit in æternum.* Post quod Joannis testimoniũ subsecuta sunt omnia ac impleta, quæ de Christo dicta sunt.

3. Ac primum Jesum nasciturum de Virgine prædixit Isaias Cap. 7. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum, ecce*

Virgo concipiet, & pariet Filium.

4. Nasciturum in Bethleem prædixit Michæas Cap. 5. *Et tu Bethleem Ephrata. Parvulus in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël, & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Sed quis potuit nisi Filius Dei egressum habere ab initio à diebus æternitatis? hoc nulla vel sagacissima pertinacia convellere potest.

5. Jesum natum Reges adorant, eiq; munera offerunt. Hoc David Psal. 71. prophetico ductus spiritu in figura filij sui Salomonis vaticinatur. *Coram illo procident Æthiopes, Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent, Reges Arabum, & Sabba dona adducent.*

6. Jesus Hærodis crudelitatem

tem effugiens secessit in Ægyptum, & hoc Ozæas Propheta Cap. 11. prophetisat. *Ex Ægypto vocavi Filium meum.*

7. Nec infantium cædem ab Hærode perpetratam præterire potuit silentio Jeremias inquiens Cap. 31. hæc dicit Dominus: *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus & fletus plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt.*

8. Jesum quoq; in Galilæa prædicantem de Deo, describit prophetice Isaias Cap. 9. *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, & terra Nephtali, & novissimo agravata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium, populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus,*

in

in Regione umbræ mortis, lux orta est eis.

9. Christum docentem, ac sanantem cæcos describit Isaias Cap. 42. *Ego Dominus dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum.* Idemq; Isaias iterum Cap. 35. idem confirmat: *Deus ipse veniet, & aperientur oculi cæcorum.* Quod & de oculis mentis intelligi potest, quod David Psal. 145. *Dominus illuminat cæcos*, & iterum Isaias Cap. 42. *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum.* Quod & Cap. 29. clariùs adhuc adducit. *Et audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris, & caligine, oculi cæcorum videbunt.*

10. Quòd verò & mutos loqui fecerit Christus Jesus, & clau-

claudos ambulare, teſtatur Iſaias Cap. 35. *Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingva mutorum.* Et hoc eſt quod Matthæus Evangeliſta Cap. 15. 30. & 31. teſtatur. *Et acceſſerunt ad eum multæ turbæ habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos, ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes.*

11. Sed & mortuos revocaſſe ad vitam fatetur de Jeſu Chriſto propheticè idem Iſaias Cap. 26. *Vivent mortui tui, interfecti mei reſurgent. Expergiſcimini & laudate, qui habitatis in pulvere.*

12. Prædicationem quoq; fidei

dei Jesu Christi per Apostolos attingit Isaias Cap. 66. his verbis: *Mittam ex eis, qui salvati fuerint ad gentes, in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam, in Italiam & Græciam ad Insulas, longè ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres de cunctis gentibus, donum Domino.* Hoc planè ipsum decantat David Psal. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Et iterum Isaias Cap. 24. *Hi levabunt vocem suam atq; laudabunt, cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari, propter hoc in doctrinis glorificate Dominum in Insulis maris, nomen Domini Dei Isràël. A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi.*

Qua-

Quapropter adducit Isaias nomen JESU Christi, & adventum ejus famâ prædicationis celebrandum his verbis Cap. 52. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, anuuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion, regnabit Deus tuus.* Quam prædicationem testantur Apostoli sibi commissam Actuum Apostolorum Cap. 10. *Et præcepit nobis Iesus prædicare populo, & testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo, Iudex vivorum & mortuorum.* Unde non immeritò Paulus ad Romanos Cap. 1. *Primùm quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum*

pro omnibus vobis, quia fides vestra annũtiatur in universo mundo.

13. Mortem verò JESU Christi, annuntiaverunt multi Prophetæ, quòd pro salute humana occidi debebat. Inter quos Daniel Cap. 9. clarè prophetisat dicens: *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Et Jeremias Threno. 4. *Spiritus oris nostri Christus, captus est in peccatis nostris.* Et Isaias Cap. 33. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Et ibidem: *Vidimus eum despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, unde nec reputavimus eum.* Atq; alio loco idem Isaias: *Oblatus est, quia ipse voluit.*

Atq; iterum: *Tanquam ovis ad occisionem ducetur.*

14. De ingressu Jesu Christi in Jeruzalem, vaticinatus est Zacharias Cap. 9. *Exulta satis Filia Sion, jubila Filia Ieruzalem, ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator, ipse pauper, & ascendens super asinam.*

15. Quòd Christus ejecerit ementes ex Templo, prædixit Zacharias Cap. 14. *Non erit mercator ultra in Domo Domini in die illo.*

16. De venditione quoq; Jesu Christi per Judam, agroq; figuli venditionis pretio exempto, clarè prophetisat Zacharias Cap. 11. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me. Projce illud ad statuarium. Decorum pretium,*

tium, quo appretiatus sum ab eis, & tuli triginta argenteos, & projeci illos in Domum Domini, ad statuarium.

17. Quod Jesus conspuitur & cæditur à Judæis, describit Isaias Cap. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Idem confirmat Jeremias Thren. 3. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.*

18. De crucifixione non minùs Jesu Christi, & perforatione clavis manuum pedumq; ejus, cecinit David Psal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Quod & Zacharias non absimili vaticinio confirmat

Cap.

Cap. 13. *Et dicetur ei. Quid ſunt plagæ tuæ in medio manuum tuarum? & dicet: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.*

19. Inſuper de depoſitione veſtimenti Chriſti & ſortium ſuper eo miſſione decantat David Pſal. 21. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.*

20. Nec abſconditum eſt etiam & illud à Prophetis, quod Chriſtus inter duos latrones crucifigitur. Sed vaticinio Iſaiæ deſcribitur Cap. 53. *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt.*

21. Quòd Jeſus veniam crucifixoribus à Patre implo-

rat,

rat, teſtatur Iſaias Cap. 53. *Et ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit.*

22. Quòd etiam Chriſto moriente, ſol obſcuratur, & terra movetur, præſenſit in ſpiritu Amos Cap. 8. *Numquid ſuper iſto non commovebitur terra? & lugebit omnis habitator ejus, & erit in die illa dicit Dominus Deus. Occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.*

23. Clariſſimè verò præſagit David de aceti & fellis propinatione Jeſu Chriſto exhibita Pſal. 68. *Et dederunt in eſcã meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.*

24. De ſubſannatione quoq; ac opprobrio pendentis in cruce à prætereuntibus objecta memi-

meminit Salomon vaticinans ſapientiæ Cap. 2. *Si enim eſt verus Filius Dei, ſuſcipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum: contumelia & tormentis interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius, morte turpiſſima condemnemus eum.* Et Iſaias Cap. 53. cum ſtupore narrat paſſionem ejus dicens: *Generationem ejus quis enarrabit? De anguſtia & judicio ſublatus eſt, abſciſſus eſt de terra viventium, propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Et Jeremias Cap. 11. *Ego quaſi Agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & non cognovi, quia cogitaverunt ſuper me conſilia.*

25. Nec ſiluit præterea Zacharias de latere Jeſu Chriſti

trans-

transfixo Capite 12. dicens: *Aſpicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu, quaſi ſuper Vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte Primogeniti.*

26. De cruribus quoq; Jeſu Chriſti, more crucifixorum non fractis, figurata ſonat inſtitutio Agni Paſchalis Exodi. Cap. 12. *Nec os illius confringetis.* Et Numerorum item Cap. 9. *Et os ejus non confringent.*

27. Sepulchrum Jeſu Chriſti deſcribit Iſaias Cap. 11. *In die illa Radix Ieſſè, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Et Jeremias Thren. 3. idem planè attingit his verbis: *Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me.*

28. Deſcenſum verò ad inferos, & Patriarcharum eductionem de Lymbo, notat Eccleſiaſticus Cap. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Non abſimile his verbis prophetiſat Iſaias Cap. 24. *Dedi te in lucem gentium, ut educeres de concluſione vinctos, de domo carceris ſedentes in tenebris.* Alio quoq; loco nempè Cap. 49. idem confirmat Iſaias: *Dedi te in fœdus populi, ut diceres his qui vincti ſunt, exite, & his qui in tenebris, revelamini.* Sed & Zacharias non minùs clarè vaticinatus eſt Cap. 9. *Tu quoquè in ſangvine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. Convertimini ad*

munitionem vincti ſpei. Ozæas etiam Cap. 13. non minùs confirmat Prophetiam hanc dicens: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua, o mors! morſus tuus ero inferne.* Atq; ſecundo loco nimirùm antecedenter Cap. 6. ſic ait: *Vivificabit nos poſt dies duos, in die tertia ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus, ſciemus, ſequemurq;, ut cognoſcamus Dominum, quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus ejus, & veniet quaſi imber nobis temporaneus, & ſerotinus terræ.* Quæ allegoria Ozææ de imbre, confirmat & dictum antecedens Iſaiæ Cap. 45. *Rorate cæli de ſuper, & nubes pluant juſtum.* Quod & Zacharias Sancti Joannis Baptiſtæ Pater affirmat, non

non minùs in cantico ſuo dicens: *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent.* Quò omnia liberationis Patrū myſteria, quòd clariſſimè expreſſa ſint, nemo negabit.

29. Poſt deſcenſum ad inferos ſubſecutam reſurrectionem Sophonias prophetiſat dicens: *Quapropter expecta me, dicit Dominus: in die reſurrectionis meæ, in futurum, quia judicium meum, ut congregem gentes, & colligam Regna.* Quod Apoſtoli confeſſi ſunt Actuum 3. *Auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, cujus nos teſtes ſumus.* Et Paulus 1. ad Corinthios Cap. 15. *Quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm ſcripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurre-*

xit tertia die ſecundùm ſcripturas, & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim. Deinde viſus eſt plùs quàm quingentis fratribus ſimul, ex quibus multi manent uſque adhuc. Quidam autem dormierunt, deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus, noviſſimè autem omnium tanquam abortivo viſus eſt & mihi. Quod iterum Actorum Capite decimo clarè teſtati ſunt Apoſtoli dicentes: *Hunc Deus ſuſcitavit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducavimus & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit à mortuis.* Hoc & ipſe Chriſtus teſtatus eſt de ſe, apparens poſt reſurrectionem, & docens de neceſſitate paſſionis ſuæ, &

vera,

vera, ac reali resurrectione. Lucæ Cap. 24. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas, & dixit eis, quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die.*

30. Jam verò de ascensione Jesu Christi, ex mònte Òlyveti meminit Zacharias prophetisans Cap. 14. *Et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olyvarum, qui est contra Ieruzalem.* Et Daniel visionem suam describens Cap. 7. sic ait: *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat, & usq; ad antiquum dierum (quod intelligitur caballisticè Deus Pater secundùm Hebræos) pervenit. Et in conspectu ejus obtulerunt eum, & de-*

dit ei poteſtatem & honorem, & Regnum, & omnes populi, Tribus, & lingvæ ipſi ſervient. Poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus quod non corrumpetur. Et David myſticè in ſpiritu prophetiſans Pſalmo 67. exclamat: *Pſalmum dicite nomini ejus, qui aſcendit ſuper occaſum Dominus nomen illi.* Atq; iterum alio loco ejusdẽ Pſalmi repetit: *Pſallite Domino qui aſcendit ſuper cælum, cæli ad orientem, ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis.* Et Salomon Proverb. 30. *Quis aſcendit in cælum atq; deſcendit? quod nomẽ eſt ejus? & quod nomen Filij ejus ſi noſti?* Quæ omnia Chriſti Jeſu aſcenſum propheticè denotant.

31. Quod verò Chriſtus ſedeat

deat à dextris Dei Patris, ſufficit ſolum Propheticum Regis David effatum, quod longè omnia ſuperat Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Unde Marcus Cap. 16. evangelizans clarè affirmat his verbis: *Et Dominus quidem Ieſus poſtquàm locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei.* Unde prudenter motu Spiritus Sancti Actuum 2. confirmatur, dictũ David & explicatur his verbis: *Non enim David aſcendit in cælum, dixit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.*

32. Tandem & venturum Judicem vivorum & mortuorum Jeſum Chriſtum, diemq; extremi judicij deſcribit Iſaias

Cap. 13. *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignatione plenus, & iræ furorisq́; ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea, quoniam ſtellæ cæli & ſplendor earum non expandent lumen ſuum. Obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo, & viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & requieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obryzo. Super hoc cælum turbabo, & movebitur terra de loco ſuo propter indignationem Domini exercituū, & propter diem iræ furoris ejus.* Alio quoq́; loco idem Iſaias nempè Cap. 66. adducit Chriſtum Judicem venturū, & judica-

dicaturũ ſæculum per ignem, idq́; exprimit propheticè his verbis: *Quia ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem.* Hoc ipſum & Jòél confirmat Cap. 2. atq́; ſic ait: *Canite tuba in Sion, ululate in monte ſancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, quia propè eſt dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis & turbinis, & dabo pro die in cælo & in terra ſangvinem, & ignem, & vaporem fumi, ſol convertetur in tenebras, & luna in ſangvinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis-*

33. Hæc omnia quæ Prophetarum teſtimonijs deſcripta produximus, in vita Jeſu Chriſti, & morte, adimpleta ſunt. Quarè, non aliũ, verum Ductorem ad ſalutem, quàm illum ſolum firmâ fide credimus, aſſecurati præterea tot infinitis millibus Martyrum utriuſq; ſexûs in ſangvine ſuo pro fide hac mortuorũ. Confirmati præterea doctrinis Sanctorum, qui nulla utilitate ſuâ, ſed imò paupertate, & contemptu bonorum hujus mundi, plenam fidem teſtimonij ſui promeruerunt. Pro qua ſangvinem effuderunt, & mortem obierunt, cum eo jam regnantes, cum quo nos regnaturos deſiderârunt.

34. De hoc igitur Jeſu Chri-

ſt o ve-

ſto vera firmaq; fides, ac ſpes in meritis ejus, ſolum & unicum antidotum mentis humanæ, mundanis illecebris depravatæ, reſtat eligendum, ut vitam æternam poſſideamus, quæ fideles fallere non poteſt.

CAPUT XII.

De vitæ æternæ certitudine.

XII.

1. QUomodò ſolis ſplendor in magnitudine ſua corruſcans, dum per fiſſuras clauſtra intrat tenebroſa, extenuatur in radios. Qui ſi nube præciſi fuerint, non pereunt, ſed in ſuum jubar retrahi conſpiciuntur, unde emiſſionis

ſuæ ortum habuere; ita planè mens infinita inexhauſti luminis ſui, ſivè rationis, aliàs vitæ æternæ plenitudinem continens, in corporea ſepta per animos, ſivè animas ratione prædita, velut radios æternæ mentis ſuæ ingreditur. Quæ cum lethali nube ſeparatæ fuerint à corporeis tenebris, non pereunt, ſed ad mentem infinitam, velut ad vitæ æternæ centrum refluunt, unde emanationis ſuæ ſumpſere primordium.

2. Unde mens ratione prædita interire non poteſt, quia derivatur à mente ſuprema, quæ mori nequit. Derivatum autem ſequitur naturam ſui principalis.

3. Mens verò principalis, ſivè

ſivè æterna communicat lumen ſuum mentibus à ſe productis, ſed lumen mentis æternæ, ſivè principalis, eſt æternum, ergo & lumen proveniens ſivè cõmunicatum à mente æterna, debet eſſe æternũ.

4. Quodſi natura rerum mortalium mater, quamvìs aliquando ceſſatura, & tamen in derivatis ſuis vacuum, ſivè interitum non patitur; et quomodo mens, mentium productrix, æterna illa, & immortalis Parens, mentes, luminis ſui per rationem participes producens, illas interire ſinat?

5. Ad ſimilitudinem ſuam Deus creavit hominem, ſed nullum corpus habuit Deus, ergo non ad ſimilitudinẽ corporis, ſed ad ſimilitudinem mentis

mentis suæ creavit illũ: mens verò æterna, ad similitudinem suam non potuit creare mentem, nisi rationalem, per quam similes Deo sumus. Mens ergo creatrix similem sibi producens, non potuit creare nisi æternam, quæ in brutis esse nequit, nisi in solo homine, quæ de lumine mentis æternæ per rationem non participant, nec speculantur Divinitatem, cujus speculum est æternum.

6. Per similitudinem igitur mentis Divinæ nacti sumus similitudinem lucis æternæ, juxta illud Joannis: *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Viventes relativè ad Deum, lumine mentis rationalis alligati ad æternitatem, animas habemus æternas, & immortales,

specu-

ſpeculatrices Divinitatis. Nũc quidem in tenebris per lumen fidei, poſtea verò oculo ad oculum in corpore glorificato viſuri.

7. Fides igitur de vita æterna non ſolùm fundatur in ratione, ſed & in promiſſione. Si enim Chriſtus deſideratus propter recuperationem vitæ æternæ venit in mundum, & ſedet ad dexteram Patris in carne humana, ut redderet hominibus vitæ æternæ poſſeſſionem: ergo minimè dubitandum eſt, eandem vitam æternam in ſimili corpore à Chriſto reſtitutam hominibus deberi.

CAPUT XIII.

Ostenditur medicina fidei ex vera spe æternitatis. Ex fide verò origo amoris, & reciprocatio fidei cum amore, & desiderium allocutionis Dei, verusq; modus, ac brevis orandi Deum docetur.

XIII.

I. ANimus humanus remedio fidei de Christo Jesu, & de spe æternitatis sanatus ab incredulitate suspicacis malitiæ, quæ vitam æternam difficilè cognoscit; (quia in mortalibus immersa laborat) securus redditur, mortemq; æternam non metuit, quia Dominum vitæ recognoscens, in fir-

in firma ſpe æternitatis conſtitutus erga fontem vitæ ſuæ, luminiſq; ſui nunquam morituri, inſuperabili amore roboratur.

2. Igitur ex fide, fit amor, ex amore augetur & fides, quia de amato non dubitatur, quod creditur, de credito colligitur, quod amatur.

3. Sic amor, fructus eſt fidei, & fides, radix amoris, quæ arborem vitæ conſtituunt, & in horto æternitatis in perpetuum plantaverunt.

4. Hæc ergo eſt ſumma animi humani medicina, hæc ſuprema ſalus, per Jeſum Chriſtum vitam æternam ſperare, per ſpem æternæ vitæ, unum Trinumq; Deum amare.

5. Amor Dei oritur ex forti fi-

ti fide: ex amore Dei amor proximi ſubſequitur, quia unius Patris æterni, filij cum ſimus, ex ſimilitudine imaginis Divinæ, ad unionem charitatis obligamur. Recedimus verò ab amore Dei, recedente mutua charitate. Quod verò Deum diligamus, teſtificamur in proximo, quem propter Deum diligimus.

6. Amor Dei abſtrahit mẽtem ab omni cupiditate, quia credenti in Deum, nihil magis placet præter Deum. Deum alloqui æſtuans cor deſiderat, Deum meditari animus continuò anhelat. Juſſa Dei cuſtodire fidelis animus obſervat, nihilq; magis metuit, quàm Deum offendere.

7. Omnis igitur concupiſcen-

ſcentiæ & depravati animi medicina, in vero amore Dei conſiſtit. Fides cognoſcitur ex amore, amor ex operibus.

8. Fidem habentes peſectã, ſemper in animo Deum intuemur, & tanquam præſentem verè amamus, & adoramus. Sic per præſentiam Dei continuò menti aſſiſtentem, animus ab omni infirmitate paſſionum internarum ſanatur: quia cogitat continuò Deum æternum, ſeq; ſecundùm corpus mortalem, omne quod à ſe provenit fragile, & tranſitorium. Quod verò à Deo, optimum & immortale judicat. Se conſiderâns, mortẽ finemq; ſui, & reditum ad Deũ meditatur. Deum verò revolvens mente, æternitatis cogita-

gitatione dum paſcitur, omne bonum in Deo eſſe indubitatè cognoſcit, & ex cognitione ſummi boni ad deſiderium amoris, contemplationis, ac viſionis ejus æternæ, toto corde pertrahitur.

9. Igitur ex antidoto fidei, fit perfecta medicina æternitatis, mediante amore Dei, ex vera ejus cognitione provenientе, unde appetit animus quærere acceſſum ad Deum: accedit autem per orationem, & pœnitentiam.

10. Oratio ad Deum brevis eſſe debet, ſed magis mente, quàm ore proveniens, monente Eccleſiaſte: *Nè temerè quid loquaris, neq; velox ſis ad proferendum ſermonẽ coram Deo. Deus enim in cælo, & tu ſuper ter-*

terram. Idcirco ſint pauci ſermones tui.

11. Dum mortales Principes accedimus, eoſq; alloqui cogitamus, ſumma animi maturitate trutinámus ſermonem. Quantò magìs Deum orare cupiens humanus animus perpendere debet, ut æternitáte digna coram Deo loquatur?

12. Primum punctũ orantis Deum animi præcedere debet humiliatio mentis interna, coram Creatore ſuo toto corde proſtrata. Humiliatio verò tunc erit perfecta, cùm animus conſideraverit in ſe ipſo quis ſit? qui Deum allocuturus eſt, & quis ille? ad quem mentem & cor ſuum dirigere intendat. Tunc ex cognitione utriuſq; conſumata humilitas pro-

proveniet. In ſe ipſo enim vilitatem ſuam fatebitur. In Deo verò incomprehenſibilem magnitudinem ejus ſupplex mirabitur, mentemq; humilitate imbutam ſiſtet coram Deo maturè ad orandum præparatam.

13. Exemplum hujus primi Actus humiliationis ſit PSALMUS Primus, qui ſequitur talis.

PSALMUS I.

Humiliatio Peccatoris coram DEO.

1. AD Dominum vox mea, & verba oris mei ad Deum meum.

2. Quomodo eloqui poteſt raucedo vermis coram modulante,

lante? aut tenebræ exhiberi coram ſole?

3. Vel lutum admoveri auro? aut teſtudini aquilæ volatus? ſed multò minùs homo coram Creatore ſuo.

4. Putredo & umbra mortis, velut nihilum ante Omnipotentem, & tanquam punctum, quod non computatur in æternitate.

5. Et tamen non obliviſcitur Dominus pulveris infimi, cuſtodit unumquodq́; nè pereat.

6. Quis decantabit eloquia bonitatis Dei? aut quis enumerabit multitudinem miſericordiæ Domini?

7. Ad Dominum confugio & confido: humilitatem & miſeriam meam cognoſco.

8. Do-

8. Domine reſpice in me, & exaudi verba oris mei.

9. Tu ſcis miſeriam, & vanitatem meam, & quantùm valeo, tu ponderaſti.

10. Quoniam ſpiritũ meum ego ignoro: immunditiam & vilitatem meam ſcio nimis.

11. Tu poſſediſti velut in laqueo greſſus meos, nec dignum me invenio, ut tangas me.

12. Quia egenus & inſipiens, & peccator ſum, expaveſco, & contremiſco coram te Deo meo.

13. Quomodo apparebit oratio mea in conſpectu tuo? ex ore infimi laus Dei deorũ?

14. Tanquàm ſtipula propè cedrum poſita, vel arena minima coram montibus; ſic verba mea

ba mea ante faciem Omnipotentis.

15. Sit tibi laus Deus in fæculum fæculi, & ego proftratus coram te, benedicam nomini fancto tuo in æternum.

16. Quafi umbra coram te comparere non valens, non definam, nihilominùs laudare te Deum meum.

17. Refpice confeffionẽ vilitatis meæ, & fupple magnitudine bonitatis indignitatem meam.

18. Cum Angelis quamvis indignus laudabo te, quia non poteft filere omnis creatura gloriam tuam.

19. In humilitate cordis annuntiabo laudem tuam animæ meæ, & tu fublevabis infipientiam meam.

20. Quia non ſum dignus eloqui nomen tuum, utiq; tacerem, niſi opus eſſem manuum tuarum.

21. Cum vermibus & reptilibus, & minimis terræ, vel ſi quid infimius eſt? collaudabo in æternum nomen Dei mei.

22. Sanctus Dominus, & miſericors Deus meus, non proiicet longè verba oris mei.

23. Miſerere mei Domine, miſerere mei, ſuſcipe ante faciem tuam orationem meam.

24. Non deficiam in hymno gloriæ tuæ, quamvis ſcio quia nihil ſum. Non deſinam cantare laudem tuam, cunctis diebus vitæ meæ.

25. Sanctus Deus, & laudabilis in æternum: Rex animarum, & Deus ſpirituum univerſæ carnis.

26. Sanctus in æternum, & consolator humilium, fortis, & gloriosus, mitis, & misericors nimis.

27. Salus animæ meæ, & spes mea dulcis: Deus meus, & Dominus Majestatis perfectæ.

28. In confessione tua non cessabo consolari animam meam, & cum omnibus creaturis adorare Majestatẽ tuam. Domine suscipe orationẽ meam.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.

CAPUT XIV.

Quomodo ab Actu humilitatis progredi debeat animus ad Actum adorationis Dei, &

quo motivo rationis præparare cor debeat ad adorandum?

XIV.

1. COnculcatâ per rationem veræ mentis ſuperbiâ, mediante antidoto humilitatis, jam purior quodammodò animus, ad adorandũ Deum pleno corde, progredi poteſt.

2. Superbia mater mortis æternæ, Angelorum, hominiſq; interitum cauſavit. Superbia impedivit animum à vera Dei cognitione, teſte libro Geneſ. Cap. 2. *Aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.* Humilitas reddidit vitam, ipſo Redditore ſe ſe humiliante. Teſte Doctore: *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mor-*

mortem. Propter humilitatem Regnum cælorum acquiritur, & proxima Deo ſedes datur humilibus. Teſtificante Sacro Textu: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

3. Nemo dignè adorat quē non cognoſcit. Superbia tollit cognitionem Dei. Humilitas verò tribuit, & inter cognitionem ſui, & cognitionem Dei verſatur, nec poteſt Deum perfectè adorare, qui ſe priùs coram Deo non ſincerè humiliaverit. Hæc enim duo convenire ſecum non poſſunt, amor ſui, & amor Dei. Per contemptum ſui ipſius ad adorationem Dei aſcenditur. Totum ſe exuere animo opus

eſt, ut totus Deum perquirat. Nullum ſibi honorem vendicat animus, qui totum Deo tribuit. Nullum ſe eſſe ſentit, cui totum Deus eſt. Qui honorem Dei quærit, nihil ſibi de illo relinquit, illudq́; cum Pſalmiſta toto corde exclamat: *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

4. Omni igitur vanitate interna exutus animus, felix beatusq́; ſolius gloriæ Dei quæſitor, ad adorandum Deum perfectè accedit.

5. Actus verò adorationis comprehendit deſiderium, & verum cultum. Deſiderium continet in ſe verum zelum cordis circa laudē & gloriam Dei. Cultus verò continet invocationem Sancti Nominis ejus,

ejus, & benedictionem Majestatis ejus. Confessionē magnitudinis ejus, misericordiæ, bonitatis, sanctitatis, fortitudinis, & justitiæ, cum ardore interno, non solùm amoris, sed & lætitiæ, & exultationis de gloria Dei sempiterna, cum gratiarum actione, de sanctificatione nominis ejus. Sicut non immeritò docuit Christus: *Sanctificetur nomen tuum*. Ideoque de Spiritu Sancto edocta cecinit Ecclesia: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriā tuam.*

6. Exemplum Actûs Adorationis, sit nobis Psalmus secundus Adorationis Divinæ Majestatis, qui sequitur talis.

PSALMUS II.

Actus Adorationis Divinæ Majestatis.

1. DEUS Deorum, DEUS Majestatis, æternitatis pulchritudo perfecta.

2. Fortitudo & omnipotentia sine fine, potestas spirituū, & gloria universæ creaturæ.

3. Sanctitudo & magnificētia solium tuum, bonitas & misericordia nomen tuum.

4. Justitia & veritas sedes tua, & laus tua non cessabit in æternitate tota.

5. Sanctus & immensus super Angelos, pulchritudo & decor faciei tuæ super solem.

6. Sanctus & laudabilis in æternum, quia nihil subsistit sine te.

7. San-

7. Sanctus & incomprehensibilis Dominus, bonitas ineffabilis, perfectio summa, & dulcedo animæ.

8. Cæli cælorum, & terra tota, & os Angelorum, & si quid est super cælos, non sufficiet collaudare virtutẽ tuam.

9. Quia magnus es, & omnipotens nimis, spiritus tuus potens, claritudo & virtus universi.

10. Laus tua vita cunctorum, & virtus Angelorum non glorificatur sine laude tua.

11. Te adorent cæli cælorum, & cunctæ creaturæ, & quantò magìs homo imago tua?

12. Cor meum sterno ante faciem tuam, & voluntati tuæ vitam & animam meam.

13. Ex vi animæ cupientis exardeſco collaudare Majeſtatem tuam.

14. De profundis ſpiritûs mei, & ex totis viſceribus Deus meus adoro te.

15. Et invoco nomen ſanctum tuum, benedico gloriæ tuæ, & collaudo te in timore & tremore.

16. Et in penetralibus animæ adorantis, conquiro tanquam ſitiens dulcedinem laudis tuæ.

17. Benedictus es Domine in firmamento cæli, & in plenitudine orbis terrarum adorabo te Domine Deus Pater animæ meæ.

18. Domine Deus virtus Angelorum, Domine Deus exultatio Sanctorum.

19. Deus perfectio & lumē justi, Deus consolatio & refugium peccatoris.

20. Tibi gloria & honor in sæculum sæculi. Sanctus & immortalis, & summū bonum.

21. Sanctus es, omni laude major, Sanctus es, omni gloria gloriosior.

22. Immensus omni magnitudine immensior, Perfectus omni perfectione sublimior.

23. Sanctus es, ante sæcula gloriosus, & superexaltatus ante cælos.

24. Sanctus es, qui cuncta creasti, Sanctus es, qui universa vivificas.

25. Bonus es, quia reples bonis, bonus es, quia parcis malis.

26. Misericors es, quia sal-

vas peccatores, misericors es, quia confortas justos.

27. Gloriosus es, quia nemo supra te, gloriosus es quia nec laudari potes sine te.

28. Laus tua vivat in ore meo, & cunctis diebus vitæ meæ gloria tua.

29. Et justitia tua glorificetur in æternum, & anima mea psallat tibi.

30. Et laudet nomen tuum universa creatura in hymnis, & in voce exultationis lætabitur Dominus in operibus suis.

31. Et ego lætabor in gloria tua, non saturabor in eloquio laudis tuæ.

32. Sanctus Deus Deorum, Dominus Pater, & Deus meus, virtus mea, & lumen animæ meæ.

33. Benedicite eum omnes Angeli ejus, & ego pulvis non desinam dicere Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus meus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c,

CAPUT XV.

Quanta sit vis Actus fidei, & quomodo animus per fidem Deo jungitur, ostenditur. Atq; exemplum Actûs Fidei demonstratur.

XV.

1. FIdes est vinculum, quo homo colligatur cũ Deo, & Deus cum homine.

2. Actus Fidei, est motus mentis ad Deum testificans obli-

bligationem ſuam cum Deo, quo animus ſtringitur ad unionem Dei per affectum, quem Deo ex fide debet ad credendum, & Deus homini ad mercedem vitæ æternæ.

3. Per unionem fidei copulatur animus Deo, quia motu ductus verbi Divini, credit quod non videt, totumq́; dat animum promiſſioni Divinæ, mentemq́; ſuam, non ex ductu ſenſûs, ſed ex motu luminis ſupernaturalis mancipat Deo.

4. Poſt adorationem igitur primariò actus neceſſarius eſt animo. Actus Fidei cum reſignatione rationis, cui dominatur fides, quia à fide dependet juxta illud: *Iuſtus ex fide vivit.*

5. Mar-

5. Martha Chrifti dilecta, & familiaris hofpita, nullo actu magìs Chrifto placuit, nullo hofpitalitatis documento magis Chriftum obligavit, quàm profeffione veræ fidei. *Domine utiq; ego credidi, quia tu es Chriftus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venifti.*

6. Animus itaq; humanus ad veram fidem de Deo ex toto corde refignatus, Deo jungitur vinculo unionis, nihilq; reftat, nifi ut mandatorum Dei executione, comprobet cui credit.

7. Exemplum Actus Fidei, fit Pfalmus tertius qui fequitur talis.

PSALMUS III.

Ad Sanctissimam Trinitatem Actus Fidei, & oblationis sui ipsius.

1. DEUS incomprehensibilis, Trinitas Personarũ, æterna in unitate Deitatis.

2. Pater cum Filio & Spiritu Sancto. Fili cum Patre & Spiritu Sancto, Spiritus Sancte cum Patre & Filio, æterne, & indivisè Deus.

3. Credo in te firma fide. quia comprehendere te non valeo, nec dignum me reor.

4. Credo in te Deum Patrem, quia de te testimonium habeo à Jesu Christo Domino meo dicente: *Quis novit Patrem nisi Filius.*

5. Cre-

5. Credo in te Deum Filium, quia de te teſtimonium habeo à Patre. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacuit, hunc audite.*

6. Credo in te Deum Spiritum Sanctum lumen æternũ, de quo Jeſus Chriſtus me docuit. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, ſalvus eſſè non poteſt.*

7. Te adoro Trinum in perſonis, & unum verum vivum & incomprehenſibilem Deum meum.

8. Ante faciem tuam ſterno animam meam, cogitationes meas, & totam voluntatem meam.

9. Deus ſolus ab æterno ſemper trinus, & unus, Creator, Redemptor, & Illuminator meus.

10. Quis cõprehendet Majeſtatem tuam, aut quis ſcrutari poterit eſſentiam Deitatis tuæ?

11. Nec mens, nec lingva, nec oculus, nec cogitatio univerſi, ſufficiet in veſtigare te.

12. Nec perfectionem Omnipotentiæ, nec lumen æternitatis, nec ſpeciem bonitatis, nec immenſitatem ſapientiæ, nec ſcientiam gloriæ tuæ.

13. In te credo firma fide æternum ſolum & unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

14. Te adoro, collaudo, & glorifico trinum & unum, ſolum & incomprehenſibilem Deum, à quo, per quem, & in quo omnia, fontem vitæ, & bonitatis æternæ.

15. Tibi ſacrifico animam meam, cor meum, voluntatem meam, & omnia quæ intra me ſunt Nomini ſancto tuo.

16. Concupiſco in æternum laudare te, quia tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominator, tu ſolus Dominus Deus meus.

17. In te ſolum credo, te ſolum amo, in te ſolo ſpero, & confido, Domine miſerere mei.

18. Nihil cupio ſine te, te ſolum invoco, & dimitto ex toto corde omnibus inimicis meis propter amorem Nominis tui.

19. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria, tibi ſoli anima, & vita mea. Fiat voluntas tua in ſæcula ſæculorum.

Glo-

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.

CAPUT XVI.

De perfectione veri amoris erga Deum, & motivo ejus, ac dulcedine cordis ad amorē Dei tendentis, & quomodo Actus hic Amoris Dei exerceri possit, exemplo ostenditur.

1. AMore Deus factus est homo, amore homo transit in Deum, quia ardore amoris, qui reciprocatione mutua secum conjungitur, fit unum.

2. Amor Dei est effectus gratiæ Divinæ, & voluntatis huma-

humanæ, & gratia tribuit voluntatem, & voluntas attrahit gratiam, ſympathizante mutuo inter ſe gratiæ & voluntatis, magnetiſmo.

3. Nihil eſt, quod ſe magìs facilè homini præbeat, quàm ipſe Deus, qui & volentes ducit, & nolentes trahit.

4. Aperta eſt ad Deum animo volenti via, & quantò magìs deſideranti? quantò magìs amanti? Per purum enim amorem Deus conjungitur homini, & hominis deſiderium ſequitur.

5. Hinc eſt quod multi Sanctorum animo amoreq; ad Deum elevati, magnitudine miraculorum, naturam ipſam ſuperare viſi ſunt. Quibus Deus amore conjunctus, obe

dire-

dire visus est. Juxta illud: *Voluntatem timentium se faciet.*

6. Amor igitur ex vero corde proveniens erga Deum fortissimum est ligamen mentis humanæ cum Deo. Provenire autem debet, primum ex toto corde id est, ut cor humanum exuat se omni desiderio pro Deo, solumq; Deum suspiret. Ex tota mente, ut nihil magìs cogitet, quàm Deum æternum, quo solo mens perfectè pascitur, à quo solo omne bonum provenit, & in quo omnia incipiunt & desinunt. Ex totis viribus ut omnem laborem, curam, & virtutem ad amorem Dei, & mandatorum ejus custodiam, toto conatu convertat. Tota verò mente, ut nil ardentiùs

cogi-

cogitet, quàm præſentiã Dei, & poſſeſſionem amoris ejus in æternitate perennantis. Ex tota deniq; anima, ut vitã ſuam nullo magis bono paſci poſſe in ſe ſentiat, quàm ſola amoris Dei fruitione. Nihil enim ſufficere poteſt animæ, præter ſummum bonum.

7. Ipſe Deus prævenit nos amore, Filium ſuum ab æterno genuit, ut in carne noſtra cælum nobis aperiret. O quãta ſunt homini incitamenta amoris Dei! unio cum Deo per carnem Filij ejus, ſalus æterna per paſſionem voluntariam Filij Dei nobis data, æternitas parata, oblatio ſui ipſius voluntaria, & libera pro amore noſtro Deo Patri reſignata, ab æterno præmedita-

ta, in æternum non fallitura. Vulnera, Crux, Paſſio, Sangvinis effuſio, bonitas, patientia, peccatorum noſtrorū tolerantia, & continua uſq; ad ultimum vitæ punctum miſericordia. Quæ omnia rectè conſiderans fragilis & infirmus animus humanus remedio amoris Dei ad æternam ſalutem erigitur. Et quamvis durum & impenetrabile cor tantæ amoris Dei dulcedini nullatenus negare poteſt.

8. Per Actum igitur amoris, de puro ſinceroq; corde provenientis, animus humanus fit Divinus, quia Deo unione mentis conjunctus deſiderio & ardore, tanquam vehiculo veri amoris tranſit in Deum. Per deſiderium amoris

ris Divini ducitur ad abhorrentiam eorum, quæ naturæ Divinæ, & bonitati ac perfectioni ejus ſunt contraria. Per abhorrentiã verò peccatorum ad pœnitentiam convertitur, & exclamat cum Pſalmiſta: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo.*

9. Exemplum Actus Amoris in Deum ſit nobis ſequens Pſalmus quartus, qui ſequitur talis.

PSALMVS IV.

Actus Amoris in Deum.

1. AD te Deus confugit anima mea tota, amor, dulcedo, & vita mea ſola.

2. Non eſt amor, qui dignè amare

amare poſſit, niſi tu tribuas cordi, qui amoris fons es, ut verè amet te.

3. Amo te ex toto corde meo, & ſuper omnia quæ inveniri poſſunt, te amo.

4. Fateor Domine, quia amare te neſcio, ſed tu noſti conſcientiam meam, qualiter amare te cupio.

5. Quomodo enim non te amem o bonitas infinita! ſi nihil ſum ſine te, nec invenio me niſi in te, nec cognoſco me ipſum, niſi per te.

6. Quomodo non te amem ex totis viſceribus meis, ſi tu es vita, fons, lumen, gloria; & largitor animæ meæ, & in manibus tuis ſunt ſortes meæ.

7. Amo te ſuper omnia bona mundi hujus, quid enim

hæc

hæc in comparatione ſuavitatis tuæ.

8. Amo te ex toto corde plùs quàm ipſam vitam meam, quia à te, & per te eſt vita, & in te vivam, etiamſi mortuus fuero.

9. Amo te Creatorem meum, quia amore tuo factus ſum, nec ſine amore tuo vivere valeo.

10. Et, ſi te amo propter hæc, quæ à te data video in hac vita, quantùm amare te debeo propter ea, quæ comprehendere non valeo?

11. O Deus meus! o dulcedo mea! o amor! & ſpes mea ſuavis.

12. Amo te plùs quàm me ipſum totum, quia in te plùs mihi invenio me ipſo toto.

13. In te ſolo delectari cupit ſpiritus meus, da ut te ſolum perquirat.

14. Amo te Redemptorem meum Jeſum Chriſtum, qui de cælo ad ſalvandum me deſcendiſti.

15. Qui ſangvinem tuum pretioſum pro me indigno peccatore effudiſti.

16. Da ut in vulneribus tuis amor erga te meus perennet, & nulla unquam labe extingvatur.

17. Amo te lumen meum, intellectum, & animam animæ meæ, verum & coæqualem Deum, Spiritum Sanctum.

18. Vitam, lumen, gratiã, ſapientiam, bonitatem, & virtutem.

19. Fac cor meum vas dilectio-

lectionis, & amoris tui.

20. Amo igitur te Deus meus, & amo te non propter me, ſed propter te ſolum.

21. Amo te ex totis viribus, o dulcedo & vita mea! non ut debeo, ſed ut valeo, & ſi non valeo, cupio ſaltim.

22. Perfice in me o bonitas infinita! quod retardat malitia mea.

23. Suſcipe à me, quod præſtare poteſt miſera fragilitas.

24. Tu corrector es cordis, qui fons es amoris.

25. Benedic Domine, & reſpice oculo tuo fidele deſiderium cordis mei, quia cupio amare te.

26. Et non ſolùm ipſe te amo ex toto corde meo, ſed

pariter flagranterq; desidero, ut omnis creatura amet te.

27. Cupio Domine Deus meus, ut quantùm est spirituũ in mundo, id totum æterno amore tui exardescat, & omnes te amemus, qui omnium nostrum amor es.

28. O Deus meus! o dulcedo mea! o amor & spes mea suavis!

29. Scio quia peccata mea accusant me indignum amoris tui, & quia avertunt cor meum ab amore tuo.

30. Respice in me, & miserere mei, & præsta, ut ampliùs offendere te non valeam, sed ut mundo corde te amem, sicuti cupio, Domine Deus meus, & amor meus.

Gloria Patri, & Filio &c.

CAPUT

CAPVT XVII.

Ostenditur quod verus effectus amoris Dei sit resignare illi propriam voluntatem, & quanta sit vis resignationis hujus, & in quo consistat, demonstratur. Exemplumq́; hujus Actus nimirum resignationis per Psalmum quintum exhibetur.

XVII.

1. NUllus gravior, pertinaciorq́; morbus est animo humano, quàm voluntas, ipsi rationi sæpè adversaria, rebellis, ac inimica.

2. Nulla quoq́; animo humano efficacior, velociorq́; sit medicina, quàm voluntas ve-

ræ rationi conſentanea, fidelis, & amica.

3. Ex voluntatis effectu cognoſcitur, an animus Deo adhæreat, veroq́; in eum amore exardeſcat. Si forti animo mancipetur, animuſq́; non Deum voluntati, ſed voluntatem Deo accomodet.

4. Inde certiſſimum amoris ſui in Deum animus humanus præſagium habet, ſi nihil ſentiat ſe velle ſine Deo, omniq́; ſenſu à voluntate ſua denudatus, cum Deo ad volendum nolendumq́; moveatur.

5. Hujus Actus glorioſiſſimi immortale nobis reliquit exemplum, Rex gloriæ Jeſus Filius Dei factus obediens uſq́; ad mortem, ſuamq́; propriam

priam voluntatem æterno Patri resignans: *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste. Verùm tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*

6. Inter amicos hoc solùm amicitiæ, veriq; amoris signũ est, idem velle, idemq; nolle. Animus humanus voluntate cum Deo jungitur, & voluntate separatur. Fortissimum igitur amoris Dei vinculum est propriæ voluntatis captivatio, ac totius desiderij sui resignatio.

7. Resignatio autem debet esse sincera, & ex hilari corde proveniens, ut in voluntate Dei omnis lætitia nostra consistat. Omne votum adimpleatur, omne desideriũ flagret, omne bonum videa-

 tur,

tur, omnis felicitas consistat.

8. O quam bono & discreto Receptori velle nostrum mancipamus, nihil à nobis nisi bonum nostrum exigit. Tanto exactori omnia dare, est omnia possidere. Omnia habemus, si illi reddamus omnia, à quo omnia accipimus.

9. Ita tamen cogitandum est, ut gratum nobis longèq; felix ac beatum appareat, etiamsi ipsa morte duriùs. ac terribiliùs quod illi placeat, nihil bonum, nihilq; suavè, etiamsi ipsa vita dulciùs quod illi displiceat. Hoc veri amoris opus est, quod charissimum est, amanti resignare. Nihil autem cariùs mortalium natura habet, quàm propriam voluntatem.

10. Exemplum Actus resignationis hujus sit Psalmus quintus, qui sequitur talis.

PSALMVS V.

Resignatio Deo propriæ voluntatis.

1. QUidquid sum vel habeo, à te mihi est Deus meus largitor bonorum meorum, salus mea Domine, protector vitæ meæ.

2. Quæ cupiam, aut quæ bona mihi judicem, tibi soli nota sunt, an animæ meæ conducant?

3. Tempus enim vitæ meæ in manu tua est, vitæ miseræ, inquietæ, & plenæ omnis vanitatis.

4. Scio autem nihil ſine te bonum eſſe in omni vita, tu enim fons es vitæ æternæ, à quo æterna mihi bona proveniunt.

5. A quo ſum, quiſquis ſum, nec mihi tribuere quidquã poſſum, quod à te non ſit.

6. Quid ergo magìs cupiã? aut in quo perfectiùs delecter? quàm in te ſolo Deo meo, in quo eſt omnis, & inexhauſta dulcedo ſuavitatis æternæ.

7. Tu enim ſolus auctor omnium es, nec quidquam perire poteſt, quod ſuam tibi animam reſignat.

8. Quoniam tu cuſtos es ſingulorum, Paſtor bonus qui animam tuam ponis pro ovibus tuis.

9. Omnia quæ cupio, aut

volo, mors mea ſunt, ſi ea non volo, quæ tu vis, aut quorum vita in te manet.

10. Domine Deus bonitas, & dulcedo animarum, tu ſcis conſcientiam meam, quia fide & amore te ſolum confiteor unicum, æternum, & incomparabile lumen animæ meæ.

11. Te igitur ſolum cupio, & omnem voluntatem meam tibi reddo.

12. Quidquid enim vellem, quod tuo ſanctiſſimo beneplacito, vel gloriæ tuæ non conveniat, id fac Domine longè abeſſe à me.

13. Nihil enim opto quod mihi à te, vel propter te non eveniat.

14. Omnia quæ bona mea arbitror, tolle à me, ſi volun-

tati, vel gloriæ tuæ non consentiunt.

15. Si sanitas mea contraria est laudi tuæ, cupio infirmari, quia in gloria tua sola, salus mea est.

16. Si gloria quæ vana est repellit me à te, contumeliã peto. Non mihi Domine, non mihi, sed nomini tuo da gloriam.

17. Si voluptas mea à te seducit, cupio tribulari, ut in te solo consoler.

18. Si bona vel divitiæ me separant à te, da ut egeam, quia locupletabor, cum apparuerit gloria tua.

19. Fac mecum Domine quod vis, & ut nesciam voluntatem meam.

20. Tu enim solus es, cujus

eſt velle, & quodcunq; tu volueris, hoc mecum fiat.

21. Non enim homo per ſe fieri concupivit: ſed tu dixiſti, fiat.

22. Sicut nudus mente egreſſus eſt à voluntate tua ſola, ſic me fac denudari à poteſtate voluntatis meæ.

23. Tuus ſum, tecum omnia volo, nunquam enim tanta velle poſſum, quanta tu dare vales.

24. Ideo tu ſolus mihi ſis voluntas, qui ſolus es Verbū. Tu ſolus ſis cogitatio, qui ſolus es mens, tu ſolus deſiderium, qui ſolus perfectio, lumen, amor, & omne bonum meum, gloria tua ſit.

25. Quia nec mundus, nec vita, nec conſolatio, nec ſpes, nec

nec divitiæ, nec quidquam aliud bonum meum eſt, niſi tu Deus meus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

CAPUT XVIII.

Quæ & qualia homini à Deo petenda ſint docetur; & modus exemplumq́ veræ & gratæ Deo ſupplicationis oſtenditur, animo humano perutilis.

XVIII.

1. FActa reſignatione propriæ voluntatis animus humanus, catena voluntatis ſolutus & liber confidentiùs ad Deum evolat; quia terrenorum amore non adſtrictus, totum

totum ſe Deo tradit, & nihil à Deo vanum terrenumq́; implorat, ſed mentem ſuam cum Dei voluntate jungens, ſimplex cordis poſtulatum à Chriſto commendatum profert. *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra.*

2. Animus Deo reſignatus nihil rogat, niſi quod animæ ſalutiq́; ſuæ conducit.

3. Si temporanea terrenaq́; appetens magìs quàm æterna efflagitat, illud ſibi reſponſum paratum à Deo revolvit: *Neſcitis quid petatis.* Multi exitiũ ſibi devotiſſimè poſtulantes obtinuerunt.

4. O fælix humani animi conditio! ſi ante orationem illud Eccleſiaſtis dictum mente revolverit. *Quid prodeſt homini ma-*

ni majora ſe quærere, cum neſciat quid conducat, ſibi in vita ſua numero dierum peregrinationis ſuæ, aut tempore quod velut umbra præterit.

5. Magìs ſapienter, quàm ferventer ſupplicandum eſt Deo. Non eſt animus animi nomine dignus, qui Deum ſupplicat pro ijs, quæ non ſunt animi.

6. Mortalia ſub ſe habet, qui æterna rogat. Nec æterna meruit, qui magìs mortalia petit.

7. Imprudens animus, qui talia à Deo petit, quæ homines dare poſſunt.

8. Sola petenda ſunt bona, quæ à ſummo bono proveniunt.

9. Dona ſummi boni ea

ſunt, quæ nunquam deſinunt, ſed in ſe permanent, talia petijt Salomon & obtinuit, quia talia petijt, qualia digna fuêre dari à Deo.

10. Actus ſupplicationis Deo, dignum vel indignum gratia oſtendit. Conſiſtit autem in cognitione veri boni, & ſincero ejus deſiderio.

11. Qui verum bonum non cognoſcit, ſæpè mala ſua poſtulat, ſapientiam ſupplicantis & veritatem cordis, Deus conſiderat.

12. Bona æternitatis & juſtitiæ, ac ſapientiæ, objecta eſſe debent humani animi condignè Deo ſupplicantis, quibus obtentis à Deo reliqua omnia hominem ſequuntur.

13. Magnum meritum eſt

apud

apud Deum rogare ſapienter, ſcit enim Deus, quid homini conveniat.

14. Exemplum Actus ſupplicationis Deo ſit nobis Pſalmus ſextus, qui ſequitur talis.

PSALMVS VI.

Supplicatio peccatoris ad Deum pro ijs, quæ ſunt homini petenda.

1. DEUS miſericordiarum, Domine virtus & plenitudo bonorum inexhauſta.

2. Scio quia non eſt donum niſi à te, & tu ſolus potens es gratià, & largiris æterna bona cui vis.

3. Ecce ego proſtratus coram te, invoco bonitatem tuam, &

am, & ex totis præcordijs meis deprecor te.

4. Da mihi ſpiritum & lumen gratiæ tuæ, ut te ſolum amem, te ſolum perquíram, in te ſolo delectari cupiam.

5. Dirige cor meum, ut tibi placeat mentem, ut te cogitet animam, ut in te ſolo vivat.

6. Reſpice infirmitatẽ meam, & excita ſpiritum virtutis tuæ in viſceribus meis.

7. Da mihi o ſanctitas! Divina, quæ recta ſunt velle, cogitare, quæ pura, quæ tibi placita operari.

8. Da firmitatem fidei, efficaciam ſpei, charitatis perfectionem.

9. Tribue o bonitas! virtutis amorem verum, peccati abhor-

abhorrentiam totalem, gloriæ tuæ zelum conſtantem.

10. Infunde cordi de fonte tuo o Sapientia æterna! veritatis tuæ lumen, perfectum, puritatem mentis, ſimplicitatem cordis, continentiam ſenſuum, corporis caſtitatem, proximi dilectionem.

11. Inſtilla menti juſtitiam veram, æquitatem ſinceram, ſapientiam perfectam, humilitatem ſanctam, perſeverantiã ſtabilem, patientiam ſecuram, fortitudinem immobilem, pœnitentiam ſufficientem, & à te gratiam efficacem.

12. Ut quidquid faciam vel cogitem, vel cogitare intendã, tu ſolus in omnibus ſis finis omnium cogitationum & operum.

13. Mitte illam de ſanctis cælis tuis, ſapientiam aſſiſtricem ſedium magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit coram te.

14. Scio quæ largitus es Patribus noſtris tibi ſupplicantibus, noli & me quæſo reprobare à pueris tuis.

15. Quoniam & ego ſervus tuus ſum, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis: aut quid valeo niſi tu correxeris ſemitas cordis coinquinati.

16. Scio enim quod aliter nec poſſum eſſe continens, nec ſapiens, nec tibi ex me ipſo placere, niſi tu des cujus donum hoc eſt.

17. Emitte ſpiritum tuum

qui

qui potens eſt, & imple animam meam virtute tua ad faciendam voluntatem tuam.

18. Ut fiat holocauſtum tibi in æternum, dirige & cuſtodi me Domine, ut non pereat cum his, qui te non noverunt, anima mea, quæ te cognoſcit Deum ſuum, & quæ ſperat in te, quam pretioſo ſangvine tuo redemiſti.

19. Tu mei eſto viventis vita, ambulantis via, errantis correctio, cadentis fulcrum, ignorantis doctrina, vacillantis robur, operantis auxilium, clamantis refugium.

20. Tu lumen mentis, tu cordis poſſeſſor, tu oculorum cuſtos, tu cogitationum inſpirator.

21. Tu deniq; vitæ & mortis

tis meæ portus, & ſalutis receptaculum, ut te videre merear in æternum, & laudem te in hæreditate tua.

22. Paratum eſt cor meum Deus meus, paratum eſt cor meum, miſerere mei, & adjuva me Domine propter miſericordiam tuam.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.

CAPUT XIX.

De remedio ac virtute pœnitentiæ, & qualiter infirmus animus ſanari poſſit, & in quo vera realisq; pœnitentia conſiſtat, oſtenditur.

XIX.

1. TAndem omnis humani animi infirmitas, ac ægritudo,

tudo, uno ſolo, ac præſentaneo ſanatur remedio nempè *Pœnitentiâ*.

2. Animus fuligine terrenorum deſideriorum circumventus, & obcæcatus, claritatem Divinæ pulchritudinis non videns, dulcedinem bonitatis, & æternæ felicitatis non cognoſcens, facilè toxico peccatorum inficitur.

3. Fragilitas ac imperfectio carnis, depravat ſenſum animi, & ſopore mortifero involvit.

4. Confeſſio verò peccatorum, ac dolor, & pœnitentia facta Deo puro veraciq; corde, jam moribundum animum revocat ad ſalutem.

5. Ex cognitione enim ſummi boni, & vera de illo fide naſci-

naſcitur dolor offenſionis ejus, qui ex amore ſincero procedit. Nihil enim amanti familiariùs, quàm dolor, & qui cognoſcit in corde ſummum bonum, de offenſione illius, totis viribus contriſtatur.

6. Propria etiam ſummæ bonitati ineffabilis miſericordia, videns cor contritum & humiliatum, minimè illud deſpicit, animumq́; per prava diu errantem velut paſtor ovẽ fidelis, reducit ad ovile. Nihilq́; cariùs habet, quàm animum verè pœnitentem.

7. Dolor plerumq́; naſcitur vel ex amore, vel ex timore: ex timore, ſi doleat animus periculum pœnæ ex malè facto emanantis. Ex amore verò, ſi doleat ingratitudinem ſuã

erga amantem, quem verè amat, eumq́; ſupra omnia bona ſua diligit. Talis re vera Deus eſt. Solus unicuſq́; humani animi medicus, qui amore & timore reducit ad ſalutem depravatum hominis animum, timoremq́; & amorem cordis humani ſuſcipit miſericors. Gratior tamen timore amor eſt, ac ex eo pœnitentia proveniens; quia magìs ex reſpectu Dei, quàm ex reſpectu ſui reducitur ad Deum. Ideoq́; præter remiſſionem peccati habet & meritum.

8. In virtute veræ realiſq́; pœnitentiæ, peccata dimittuntur, voluntatis errores compenſantur, gratia amiſſa revocatur, meritum reſtituitur, totuſq́; animus omni infirmitate ſanatur.

9. Redeunti ad ſe humano animo facilis eſt Deus, & tanquàm Pater Filio benignus non recuſat dexteram.

10. Motiva pœnitentiæ his gradibus oriuntur. Fides dat cognitionem ſummi boni, cognitio producit amorem, amor movet conſcientiam, conſcientia excitat confeſſionē, confeſſio producit dolorem, dolor generat pœnitentiam, pœnitentia trahit miſericordiam.

11. Fundamenta verò realis, ac efficacis pœnitentiæ ſunt, dolor peccati, ex amore ſummi boni procedens. Afflictio interna mentis propter offenſionem Creatoris. Deſiderium bonorum operum cum propoſito ampliùs non peccandi. Firma ſpes in meritis

Salvatoris, & ad eundem ſupplex recurſus.

12. Pro exemplo Actus pœnitentiæ, ſint nobis ſex Pſalmi pœnitentiales, qui ſequuntur tales.

PSALMVS I.

Recurſus, vel converſio peccatoris ad Deum ſuum.

1. COgitans cogitavi in anima mea, & ad iniquitates meas reſpexi.

2. Dixi ego cordi meo, pœnitere, & convertere ad Deum tuum.

3. Dies hominis velut umbra, & tranſitus annorum velociores fluctu.

4. Quid fallaciùs mundo, in quo non eſt requies? & cum

qui-

quieveris, ecce Dominus veniens judicare terram.

5. A ſono tubæ exitus ejus, & ad vocem illius contremiſcet terra, & filij hominum non abſcondentur.

6. Et irruet ignis ſuper univerſa terræ, & apparebit ante faciem Dei univerſa caro.

7. Et timebunt qui reſurgent de limo, & recordabuntur dierum ſuorum.

8. Ubi ſunt generationes virorum, aut quò converſi qui dicebant magnalia?

9. Vel qui confidebant in divitijs ſuis, viderunt pauperem, & non adjuverunt?

10. Nec cogitaverunt de die illa, ignorantes, quoniam mors ſuperveniet eis.

11. Et ecce Dominus terribi-

ribilis & justus, diu patiens, & misericors nimis.

12. Non minuentur verba ejus in æternum, & cuncta quæ dixit non præteribunt.

13. Miserere mei Domine, miserere mei, quoniam tremens expavesco.

14. Conturbantur die ac nocte ossa mea, & mens mea fugit à peccatis meis.

15. Quoniam malitia mea supergressa est cogitationes meas, & absq; misericordia tua non sustinebo.

16. Iniquitates meæ, irruerunt super me Domine, Domine ecce jaceo.

17. Et factus sum tanquam lutum quod eicitur ab oculis, & miseriam meam reformido.

18. Scio iniquitatem meam

in

in qua positus sum, & peccata mea cognosco nimìs.

19. Peccavi Domino, & miseretur mei, diu sustinet, & expectat.

20. Ego autem hæreo in immunditia mea, & in sordibus meis inhabito.

21. Quid potest vermis ante Deum? vel quid homo absq; Creatore suo?

22. De terra ortus est, & caro ejus terra, & in cinere cibus ejus.

23. Cogitatio ejus multiplex, & ipse tanquam errans qui ignorat viam suam.

24. Quis monstrabit iter? aut quis erudiet eum? quoniã nescit quo vadat.

25. Nonnè tu Domine qui fecisti eum, & qui spiritum insufla-

ſuflaſti ei, ut cognoſceret quia potens es?

26. Non dabis in perditionem animam meam, quoniam te cupit Domine, & ſi deficiet, quid ergo?

27. In te Domine confidit anima mea, & tu liberaſti me à peccatis meis.

28. Quoniam fragilis, & pauper ſum ego, & ſi peccavi, ecce doleo.

29. Miſerere mei Domine, miſerere mei, quoniam tremens expaveſco.

30. Erunt mihi lachrymæ meæ fontes, & tribulatio panis, donec miſerearis.

31. Sed & hæc deſunt ſine te Domine, qui dirigis corda, Domine reſpice in me.

32. Ut plangam die ac no-

cte peccata mea, perfice Domine, quoniam fervus tuus fum.

Gloria Patri &c.

PSALMVS II.

Invocatio mifericordiæ Domini.

1. DOmine non avertas faciem tuam à me, quid enim poffum fine te?

2. Homo mifer, & in peccatis à juventute mea, & tanquam navis in medio procellarum.

3. Peccavi fcio, & timeo, & iniquitas mea gravis eft mihi, quem requiram, nifi te Domine?

4. Tu qui bonus es ab æter-

no, & misericordiæ tuæ non est numerus.

5. Qui parcis peccatis hominum, quis enim justus sine te?

6. Miserationes tuæ immensæ, & misericordiæ tuæ terminum quis circumscripsit?

7. Qui ponderas cogitationes singulorum, & júdicia tua, abyssus multa.

8. Quis investigavit vias tuas, vel quis cognovit staterام tuam?

9. Quidquid ages, justitia vocabitur in æternum, & si vis parcere, nonnè potes?

10. Tu judicas animas, & dirigis gressus, & deducis in viam rectam quærentes te.

11. Non est vita sine te, & justitia absq; te iniquitas vocabitur.

12. In manibus tuis menſura juſtorum, & quis aſcendet ſolus, & poterit gloriari?

13. Tu ſalvabis animas ſi vis, qui judicas opera hominum.

14. Miſericordia tua major iniquitate mea, & peccata mea non prævalebunt bonitati tuæ.

15. Pœnitet me quia peccavi, idcircò recurro & feſtino ad Dominum.

16. Quoniam non derelinquet clamantem animam meam, & dabit lachrymas oculis meis.

17. Oculi ſimiles vanitati, perquirentes vana cordi, & qui errare faciunt animam diſtractam.

18. In lachrymis eorum requiram Dominum, & ipſe deducet

ducet ſemitas meas in benedi-
ctione.

19. Non perdet animam in afflictione, & fugientem ad ſe conſolabitur miſericors.

20. Etenim miſericordia ejus major eſt omni nequitia, non perdet Dominus animam pœnitentem.

Gloria Patri &c.

PSALMVS III.

Fiducia peccatoris in Creatore, & Salvatore ſuo.

1. CLamabo ad Dominum, ut exaudiat me, & liberet me, & in peccatis meis invocabo eum.

2. Et erit Dominus, ut audiat vocem meam, & iniquitates longè faciet à me.

3. Ego

3. Ego infirmus, & peccator ad Dominum confugio, & ſcio quia nimis audeo.

4. Vermis, & opprobrium factus ſum, in iniquitate mea, ſed quis mundabit me, niſi Deus meus?

5. Qui produxit me de nihilo, & in verbo ſuo clarificavit me.

6. Præpoſuit animã meam univerſæ carni, & fortem fecit illam, & ſpiritu ſuo vivificavit illam.

7. Ad ſimilitudinẽ Dei formavit eam Deus, & Filium ſuum miſit illi in redemptionem.

8. Non deſperabit anima mea in æternum, & in ſangvine Chriſti inhabitat ſpes mea.

9. Spero in Deo, quoniam rede-

redemit me, & pœnitentem animam non derelinquet in peccatis.

10. Quia in meritis Filij Dei ego confido, & in vulneribus Salvatoris mei refugium meum.

11. Etiãſi prævaluerint peccata mea, non peribo, quia potens eſt ſalvare me.

12. Merita Chriſti ſuperabundaverunt iniquitati, ſi rediero, non condemnabor.

13. Spero in Domino, quoniam ſalvabit me, & pro peccatis meis nimis doleo.

14. Miſerere mei Domine, quoniam pœnitet me, quid faciam? etenim peccavi.

15. Protector meus, & ſalvatio mea Domine, utiq; non errabo ſi confugero ad te.

16. Miſer, & proſtratus corde requiro miſericordiã tuam, & in immenſa bonitate tua non deſpero.

17. Confido, quia potens es Deus, & promiſſis tuis inhæreo nimis.

18. Qui dixiſti verba, quæ non præteribunt, & qui potens es facere quæ volueris.

19. Miſerere mei Domine, miſerere mei, quoniam in te tota ſpes mea.

20. Si recedis, ecce morior, & ſi derelinquas, quis me ſalvabit?

21. Charitas tua, & promisſio tua, & ad hæc nonnè ſcio, quia potes omnia?

22. Si dixeris animæ meæ ſurge, utiq; reſurget, & vivet, tu qui de nihilo creaſti eam.

23. Non desinam sperare in Deo, & deprecabor misericordiam ejus.

24. Miserere mei Domine, miserere mei, in te confidit anima mea tota.

25. Deus meus, vita mea, & spes dulcis animæ meæ, peccavi, & malum coram te feci.

26. Non repellas me in æternum, quoniam verè doleo, & lachrymas perquiro in corde meo.

27. Fiant mihi torrentes oculi mei, & cor meum mare doloris.

28. Doleo ex toto corde meo, & misericordiam tuam invoco. Domine parce peccatis meis.

29. Quoniam sperat in te ani-

anima mea Deus meus, ſpes mea, & exaltabo in æternum miſericordiam tuam.

Gloria Patri &c.

PSALMVS IV.

Confeſſio peccatoris coram DEO.

1. COnfitebor tibi Domine, quoniam peccavi, nonnè tu ſcis omnes cogitationes meas?

2. Qui dimenſus es maria, & arena ejus nõnè numeratur ante te?

3. Qui judicas Angelos, & poteſtates, & potentes deponis de ſede, & corda hominū patent tibi.

4. Tu vides conſcientiam meam, & peccata mea tu conſideras.

5.

5. Tibi patent arcana cordis mei, & iniquitas mea omnis dinumerata est ante te.

6. Tu ponderasti minima animæ meæ, & omnes sensus meos, tu investigasti.

7, Si elatus fui in corde meo, tu nosti, non consideravi vanitatem meam.

8. Homo de carne putredo & corruptio, vilis, quomodò ausus fui superbire?

9. Et oblitus sum Dei mei, & in vanitate collocavi spem meam.

10. Non humiliavi in cogitatione animam meam, nec dixi, quid ego sum, in comparatione Domini?

11. Et complacui mihi in nequitia mea, & in voluptate nimia laxavi carnem.

12. Et

12. Et nutrivi eam, & delectavi, & facta eſt longè à Deo mens mea.

13. Et præpoſui animæ meæ delectationes mortiferas, longè à ſalute abduxi eam.

14. Et non vidi quod Deus eſſet ſummum bonum, & in hoc conſolatio animæ ſola.

15. Idcirco peccatis indulſi, & tranſgreſſus ſum mandata Dei mei.

16. Charitas diſceſſit à me, & in proximum meum non intendi.

17. Quoniam adhæſit iniquitati cogitatio mea, & juſtificationes meas neglexi.

18. Mens mea abſtracta eſt in peccato, ſi quando receſſit, tunc redijt.

19. Confitebor tibi Domine,

ne, quoniam peccator ſum, & ſi non adjuveris, en pereo.

20. Miſerere mei Deus, & ſalva me, quoniam doleo ex toto corde meo.

21. Peccavi, & pœnitet me, parce Domine pauperi animæ pœnitenti.

22. Ecce enim requirit miſericordiam tuam, & iniquitatem ſuam ponit ante te.

23. Non abſcondar à facie tua in æternum, & miſericordia tua parata eſt omnibus invocantibus te.

24. Non tenebræ, aut infernus, vel timor pœnæ, ſed amor Dei mei, deducit me in viam rectam.

25. Quoniam in te Deus conſolari cupit anima mea, nec ſalvari vellet ſine te.

26. Peccata mea doleo propter te, tu enim abominaris omnem injuſtiam.

27. Veritas tua, & juſtitia magna, & quid eſt ſol in comparatione illius?

28. Vel quid multitudo ſtellarum cæli, aut congregatio lucis? diſſipabuntur tanquam umbra coram te.

29. Claritas Dei illuminat animas, & gratia Omnipotentis aufert peccata.

30. Quoniam in manu ejus cæli cælorum, & terra tota, ſalvabit Dominus quem voluerit.

31. Miſerere meĩ DEUS, quoniam ad te ſuſpiro, & tu parce Domine peccatis meis.

32. Iniquitates longè fac à me, & in omnipotentia tua miſerere mei.

33. Ecce enim cognoſco, quia miſer ſum, & recurro ad te, ut miſerearis mei.

34. Domine miſerere animæ meæ, doleo quoniam peccavi in te Deum meum.

35. Et in amaritudine mea concupiſco lachrymas profluentes, ut mihi innoteſcat, corde, quia verè doleo.

36. Et quia in te conſiſtit conſolatio mea, Domine ſalva me propter miſericordiam tuam.

Gloria Patri &c.

PSALMVS V.

Spes in meritis Chriſti.

1. DEUS meus exaudi vocẽ meam, quoniam in te ſolo ſperabo.

2. Imago tua, & caro, & gratia ſuperabundans, & merita Chriſti Dei, confirmant me, ideò ſpes mea, in miſericordia ejus.

3. Qui natus eſt, ut redimeret peccatorem, ideò ſpes mea in miſericordia ejus.

4. Deſcendit Deus de cælo, & homo factus eſt propter me, ideò ſpes mea in miſericordia ejus.

5. Laboravit à juventute mea, ut duceret me ad ſalutẽ, ideò ſpes mea in miſericordia ejus.

6. Deus magnus, & excelſus factus eſt, & mitis, & pauper, ideò ſpes mea in miſericordia ejus.

7. Genitus de pura Virgine, quæ dicitur refugium peccato-

rum,

rum, ideò ſpes mea in miſericordia ejus.

8. Qui docuit homines, ut cognoſcerent eum, ideò ſpes mea in miſericordia ejus.

9. Filius Dei vivi humiliavit ſemetipſum propter me, ideò ſpes mea in miſericordia ejus.

10. Dilexit creaturã ſuam, & elegit eam ut ſalvaret, ideò ſpes mea in miſericordia ejus.

11. Quæſiuit animam meam tanquam ovem quæ perierat, & animam ſuam poſuit pro ea, ideò ſpes mea in miſericordia ejus.

12. Dominus miſericors, & potens, & bonitatis ejus non eſt numerus, ideò ſpes mea in miſericordia ejus.

13. Deus meus, amor animæ

mæ meæ, Deus diligens animas. ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

14. Promiſſa ejus ad ſalutẽ, & potens in veritate quæſivit peccatores, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

15. Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

16. Faciens mirabilia corã gentibus, glorificavit nomeñ ſuum, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

17. Imperabat, & ſanabantur infirmi, & curabat hominem quem dilexit, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

18. Salvavit publicanos, & pœnitẽtes ſuſcepit miſericors, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

19. Filius Dei Omnipotentis oblatus eſt, ut redimeret peccatorem, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

20. Humilis factus eſt pro nobis, & elegit mori pro homine, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

21. Qui corpus ſuum dedit in cibum homini, & ſangvinē ſuum propinavit peccatori, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

22. Qui lavit pedes Diſcipulorum, & humilem ſe fecit pro nobis, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

23. Factus eſt ſudor ejus in ſangvinem, & pati elegit, ut ſalvaret creaturam ſuam, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

24. Captus eſt, & traditus tan-

tanquã latro Agnus innocens pro peccatis meis, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

25. Judicatus iniquè, & cõdemnatus ad mortem, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

26. Dominus fortis & potens, ſuſtinuit opprobria, ut redimeret me, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

27. Sputa, alapas, verbera, paſſus eſt ſpontè, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

28. Perforaverunt ſpinæ caput ejus, & factus eſt Rex æternus abjectio peccatorum, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

29. Patiens tulit coronam pungentem, ut coronaret me in gloria, & ſangvine lavaret

me, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

30. Illuſus arundine, & purpureo veſtimento, ſedit humilis propter me, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

31. Poſtpoſitus latroni mortem conſtanter amplexus pro ſalute mea, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

32. Flagellis cæſus, vulnera grata tulit, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

33. Sangvine conſperſus, & humi proſtratus Deus Deorũ, vulnera paſſus eſt pro peccatis meis, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

34. Ut tolleret peccata, bajulavit crucem ſuam ad ſupplicium ductus, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

35. Crucifixus pro me in cruce pependit, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

36. Perforaverunt manus, ac pedes ejus clavi, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

37. Aſtitit à dextris ejus Maria Mater ejus Domina mea, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

38. Potens, omnia dedit latroni Paradiſum, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

39. Bonitas immenſa, pro inimicis Patrẽ deprecatus eſt, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

40. Filius Dei æterni mortuus eſt pro peccatis noſtris, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

41. In cruce clamans voce ma-

magna exſpiravit, ideò ſpes mea in miſericordia ejus.

42. Miles lanceâ latus ejus aperuit, & continuo exivit ſangvis & aqua, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

43. Anima mea redempta eſt pretioſo ſangvine Redemptoris, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

44. Reſurrexit à mortuis Deus in carne noſtra, ſedetq; ad dexteram Patris, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

45. Paſſio Jeſu Chriſti Domini mei interpellat pro me, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

46. Quoniam majora ſunt merita Chriſti iniquitate mea, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

47. In vulneribus Salvatoris, fiducia, & conſolatio mea tota, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

48. Dominus Deus mèus per merita Chriſti Filij Dei liberabit me à peccatis meis, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

49. Per vulnera ejus patent mihi viæ, & refugium ad Deũ, ideo ſpes mea in miſericordia ejus.

50. Non perdet pœnitentem animam meam propter merita, & ſangvinẽ ſuum pretioſum, quoniam ſpes mea in miſericordia ejus.

Gloria Patri &c.

PSALMVS VI.

Actus doloris pro peccatis.

1. PArce mihi Domine, ad te ſuſpiro, adjuva me, quoniam peccavi in te.

2. Dolorem induerunt oculi mei, & cor meum abſorbtũ eſt dolore iniquitatis ſuæ.

3. Utinam diffluat in lachrymas anima mea, & fiat in torrentem pœnitentiæ, coram te Deo meo.

4. Immenſa eſt malitia hominis ſuper terram, non juſtificabor ſi quæſivero, niſi velis.

5. Parce mihi Domine, quia doleo, ſcio quia non damnabis animam pœnitentem.

6. Non eſt refugium mihi, niſi in dolore meo, & in planctu conſolatio mea tota.

7. Et-

7. Etenim peccavi in te Domine, utiq; tu es ſolus qui peccata dimittis.

8. Omnipotentia tua fecit me, & bonitas tua ſalvavit me.

9. Non confundar in lachrymis meis, & dolor meus non adæquabit miſerationes tuas.

10. In multitudine peccatorum ſpero in te Domine, miſerere mei, & parce peccatis meis.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen.

CAPUT XX.

De virtute fortis propositi, intentionisq; humanæ, & in quo consistat; quaq; ratione animus humanus per eam cum Deo conjungatur?

XX.

1. SIc jã præcustoditus, præparatusq; animus ad veram salutis medelam per pœnitentiam, intentionisq; fortissimæ ampliùs non peccandi remedio tutus, securè transit ad actum Confessionis actualis. In Confessione verò actuali, quæ coram legitimo Sacerdote ad id potestatem habente expeditur, continetur accusatio sui ipsius de omnibus commissis peccatis. cum omni hu-

mili-

militate, veritate, & ſincerita-te, & promiſſio tam interna, quàm actualis ad ea ampliùs non redeundi.

2. Propoſitum firmum ſimplex, nullatenuſq; conditionalè ſed abſolutum omni duplicitate, reſtrictioneq; carens, eſt ſolum unicumq; efficax remedium quamvis corruptiſſimi, & quoquo modo ægri animi, quia per propoſitum firmum ſanatur infirmitas voluntatis, venenum malitiæ, & inducitur in animum humanum perfectio intentionis, robur voluntatis, plenitudo virtutis, ſecuritas gratiæ, efficacia ſalutis.

3. Voluntas firma ex ſtabili propoſito proveniens, eſt teſtimonium validiſſimum veræ

fidei

fidei in Deum, quia quod creditur intellectu, confirmatur voluntate. Voluntas autem fortificat animum, & veritate desiderij colligat cum Deo.

4. Voluntas firma intentione, & forti proposito solidata restituit hominem Deo, & homini innocentiam. Quod voluntate depravatum est, volũtate corrigitur.

5. Animus humanus liber est, coactum Deus non suscipit, voluntas verò libertatis est actus. Voluntatis verò virtus, virtutis præmium ipse DEUS.

6. Voluntas prava nolens, dum malis renuntiat, puritatẽ cordis nanciscitur, & malitiam in virtutem transformat, quæ innocentiæ statum animo restituit,

ſtituit, & per illam pretioſum Deo animum reddit, efficitq;.

7. Intellectus animi humani ex ductu rationis non poteſt, non cognoſcere quod malum eſt, ſi illud evitare cupit, & voluntatem ſuam frenare nullo remedio magis poteſt, quã remedio propoſiti. Propoſitum enim fit ex firma cognitione veri boni, & detrimenti ex malo provenientis, quod evitare rectus animus cupit, ſed ſtimulis paſſionum excitatus, voluntati ſuæ frena diu retinere nequit. Unde prudens vera cognoſcentis animi ratio, utitur remedio propoſiti, tanquam ſtratagemate ad obligandum animum ſuum ad ea velle, eaq; nollo, quæ forti animo ſibi propoſuit.

8. Firmum enim propoſitum, eſt verbum, ſive fides in animo data ſibi, nulla alia poſſe velle, niſi ea, ad quæ ſe ſibi ratio in animo obligavit, inſtar viri herois, alteri quidpiam promittentis, quod pudor eſſet revocare, ſed etiamſi mors illi ſubeunda eſſet, ſatiùs illam eligeret, quàm verbum, & fidem datam temerare. Si hæc in animo fiunt propter hominem, quantò magis fieri debent propter Deum? Non opus eſt teſtibus verbi ſibi dati in animo, quem Deus ſemper videt. Recta viriliſq; mens ipſam erubeſcit conſcientiam, nec mutare poteſt, ſi heroica eſt; quod ſemel in animo ſecum conſtituit, firmoq; propoſito ſtabilivit.

9. Nec difficilè eſt forti conſtantiſq; propoſiti animo, ad fidem ſibi datam aſſveſcere. Frenabitur voluntas ipſa fortis propoſiti neceſſitate, ſi in ſe ſentiat vinculum inſolubile propoſiti. Exprobrantis continuò periculum mutationis mortiferæ, pudorem inconſtantiæ animi ſecum non conſtantis, amiſſionemq; gratiæ Divinæ tanto pœnitentiæ labore reſtitutæ. Si enim pœnitentia fuit ex perfecta cognitione veri, ſummiq; boni, ergo & propoſitum, non relabendi ad ea, quæ malè egiſſe juſtè pœnituit, debet fundari in amore ſummi boni, propter quod non modo deſiderijs ſuis renuntiare, ac voluntate ea coercere, ſed morte ipſa ea evitare juſtum eſſet.

10. Exēpla constantiæ multorum in minoribus visa sunt. Quanti amici aliorum nè suos desererent, mortem obierunt voluntariam. Amicitia Dei quantò pretiosior est humanâ, propter quam periculum sibi non constandi multò ignominiosiùs est, quàm propter homines. Hac igitur necessitate, tam justa, amoris, fidei, salutis, si obfirmatur animus in proposito, sensim assvescit ad fidem proposito suo servandam, nec ullatenùs mutandā, & ex necessitate verbi in animo sibi dati, & impossibilitate mutationis mancipatæ voluntatis, mitigatur desiderium ad ea, quæ nullatenùs perpetrari posse in animo firmissimè decrevit.

11. Hoc igitur unicum remedium eſt animo obfirmandæ propriæ voluntatis firmoq; propoſito parendi, ſi Divina gratia accedat, ſine qua nullus animus fortis eſt, etiamſi vel maximè obfirmetur, in qua omnis ſpes conſtantiæ & fortitudinis animi humani conſiſtit. Nec ideo propoſiti ſui fortitudinem requirit animus, ut per ſe præſumat non cadere, ſed ut labore & lucta, voluntatis ſuæ frena Deo moderatori, ac Judici ſubmittat. Per ſe enim nec labore, nec induſtria, nec propoſiti fortitudine, certitudinem virtutis ſuæ ſibi arrogare poteſt, *ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt, ab adoleſcentia ſua.* Teſte ipſo Creato-

re ſic

re ſic loquente Geneſ. 8.

12. Confortatus ergo animus continuo remedio implorationis Divinæ gratiæ, firmaq́; in ea ſpe præſervatus, de propoſiti ſui ſtabili intentione, nullatenũs deſperare poteſt, tanto magìs ſi de áctu bonæ intentionis ſuæ, & facti propoſiti, humiliter ſenſerit, nihilq́; ſuprá alios peccatores ſibi inde meriti arrogaverit: *Neſcit enim homo an odio, vel amore dignus ſit?*

13. Sperantem Deus adjuvat, præſumentem verò gratiâ deſtituit. In humilitate itaq́; & ſpe gratiæ Divinæ propoſitum conſtituitur validum, capaxq́; animus efficitur deſiderandi ſumptionem Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramenti.

Per

Per quod corporis ſangviniſq; unione incorporamur cum Chriſto.

CAPUT XXI.

Supremum & principale remedium periclitantis animi humani, Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum, cujus ſacroſancta virtus oſtenditur, & per eam ſalus humana, quibus modis ſuſcipi debeat?

XXI.

1. CUm ſanatus fuerit animus, à mortifera peccatorum ægritudine per pœnitentiam & propoſitum, accedere poteſt ad cæleſte & Angelicum ſalutis Pharmacum, vide-

videlicet Panem qui de cælo descendit, Panem vivũ, quem se Christus esse dixit. Et de quo tale dedit testimonium: *Qui manducat hunc Panem vivet in æternum.*

2. Hæc summa & infallibilis animi ægrotantis medicina est, si recollecto, & digno Dei animo sumatur, corq; perfectum, purum, & reale, gratum Deo habitaculum præstet. Hoc factô, totus internus animus à morte sanatur, salutemq; nanciscitur æternã. Sic Medicus, & medicina, fit ipse Deus. Dum modo fide forti, amore perfecto, præparamento cordis sincero, puroq; suscipiatur.

3. Per sumptionem Panis cælestis, sive Corporis, sangvinisq;

nisq; Filij Dei, dum corpus transit in unionem cum Christo; animus quoq; transire debet desiderio & affectu in Deum. Tunc efficax erit cõmunio, si sumptionem per corpus factam, animus ex corde suscipiat, totumq; se Deo præstet.

4. O quanta animi humani felicitas! Deum ipsum pro remedio suscipere, cum Deo incorporari, cùm Deo animo conjungi, desiderio sociari, fruitione delectari, dulcedine satiari.

5. Animus autem humanus ante sumptionem Corporis Christi, tribus actibus mentis præparatur ad dignam susceptionem, videlicet: Timore suæ indignitatis, & vilitatis,

humi-

humilitate mentis, desiderio tam immensi boni. In sumptione verò, gaudio ex præsentia Christi, amore ex consideratione tam immensæ bonitatis, cum homine sese incorporantis. Cultu & adoratione Majestatis ejus, cui ab animo nullus sufficiens honor præstatur. Post sumptionem verò reflexione tantæ dulcedinis Dei in corpore suo existentis, cor possidentis, animum sanctificantis, totumq; hominem virtute sua transformantis, & gratiarum actione, sincera, & cordiali, de tam immenso generi humano beneficio concesso, quod super omnia bona censeri potest maximum.

6. Præcipuum hoc animi reme-

remedium erit conſiderare, quantæ dignitatis & ſanctificationis per hoc Sacramentum homo capax efficitur. Nimirum Chriſtus ut nos Divinitatis participes efficeret, ipſe cum Filius Dei eſſet, humanitatis particeps eſſe voluit, & per inſtitutionem Sacramenti Corporis & ſangvinis ſui nos vocavit ad conjunctionẽ cum corpore ſuo, & per incorporationem ſecum factam omnes Filios Dei ſecum fieri fecit, ut efficeremur unum corpus in Chriſto. Quanto igitur deſiderio animus humanus ad tantæ unionis perfectionem toto corde anhelare, ad tantæ ſalutis remediũ totis viribus contendere debeat? nullus tam cæcus eſt animus, qui non videat,

at, nullus tam falsus, qui non cognoscat, nullus tam contumax, qui tantæ bonitati & felicitati non pareat. Hujus itaq; beatitudinis consideratio, totum animum convertere debet ad integrum amorem hujus boni, cum quo unum efficitur, & indissolubili nexu conjungitur. Si igitur placet animo cum Christo idem esse, non displicebit illa deserere, quæ animum à Christo avertunt, sed placebit, imò necessitabit illa velle, illa stabilire, illa forti animo obfirmare, quæ nos per sumptionem Corporis & sangvinis Christi, unũ cum Christo factos, nullatenus à Christo dividere possunt.

7. Ex tantis motivis eliciat in se animus actus heroicos

men-

mentis, breves, ponderoſos, & plùs cogitantes, quàm dicentes, qui fidem augeant, amorem accendant, propoſitũ obfirment, ac inprimis ante ſumptionem Euchariſtiæ accendatur animus ad Deum ſequentibus motibus ſive exclamationibus, cordis, quæ paucis multa complectuntur, & Deum trahunt, non morantur: nimirùm ut dictum eſt, ex motu timoris, humilitatis, & deſiderij. Quorum exempla ſunt hæc quæ ſequuntur.

ACTUS MENTIS AD DEVM in COMMVNIONE DIRIGENDI.

1. O Magnitudo incomprehensibilis! quomodo coarctâsti & extenuâsti immensitatem tuam propter me, ut te capere possim?

2. Minimum te sentio per sensum, majorem per fidem, maximum per amorem.

3. Oh! quomodo me minimum totus ingrederis.

4. Scio Domine, quia exiguitas hominis te capere nequit, sed tu implere potes parvitatem meam, qui ut in minimo totus es, ita & in maximo idem.

5. Non

5. Non menſuris comprehenderis, nil pro te magnum, nil pro te parvum, non particulis ſeparaxis, non diminui potes in puncto, aut dilatari in circumferentia. Quia numerum, pondus, & menſurã, ad captum intellectûs creatis ſolùm rebus impoſuiſti, & diviſiſti. Tu autem idem ipſe es, & plenitudo virtutis tuæ non deficiet.

6. Tu es plenitudo univerſi, tu es plenitudo ſingulorũ, nil tibi in te ad augendum accedit, nihil decedit ad minuendum, omnia tua ut dixiſti ad te trahis, imò omnibus te præbes, ore intras per ſpecies, per Sacramentum verò & virtutem, incorporaris hominibus: Fide mancipas, fide manciparis.

7. Deus lates & homo, Panis videris, quia & ut Deus ſalvas credentes, & ut homo incorporas ſecum volentes, ſolùm tantùm ut capiâre, Panis exhiberis.

8. Naturæ verò noſtræ defectus eſt non tuæ, quod lateas. Deum enim quis vidit unquam, nec Moyſes, nec Aaron, nec Elias: Et hi tamen quanto timore horruerunt, conſpicientes ſolùm aliqua ſigna præſentiæ tuæ!

9. Idcircò & ego te Domine quem non video credo, quē credo amo, quem amo deſidero, quem deſidero adoro, quem adoro, invito, quem invito expecto, quem expecto timeo, ſciens vilitatem, impuritatem, & indignitatē meam.

10.

10. Timens tamen confido, ſciens miſericordiam & omnipotentiam tuam, ideò cum David anhelans exclamo: *Expectans expectavi te Dominum meum, tu intende mihi, & exaudi preces meas, & educ me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, & ſtatue ſuper petram pedes meos, & dirige greſſus meos.*

11. Et hæc proferens in corde meo, deſidero te ſummũ bonum ſuſcipere, & tecum conjungi, cum eodem David exclamans: *Sicut cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

12. Credo firma fide, verbo & promiſſioni tuæ, cùm fideli Martha fidem meam manifeſtans: *Domine, utiq; ego credidi, quia tu es Filius Dei vi-*

vi, qui in hunc mundum venisti.

13. Et quia te verè amo, ideò ex toto corde doleo, quod te aliquando offenderim, atq; cùm publicano tota mēte prostratus, supplex ad bonitatem tuam confugio, dicens: *Deus propitius esto mihi maximo peccatori.*

14. Et verè recognoscens te esse Dominum, Creatorem, & Salvatorem meum, quamvìs lateas sub specie, te confiteor, & adoro cùm Thoma dicens, & fide palpans: *Dominus meus, & Deus meus.*

15. Fæditatem deniq; meā cognoscens nisi per te mundari posse, præsentiā tuam in corde meo anhelo, contremiscens tamen & metuens, nè dicas quod dixisti mulieri Chananeæ:

neæ: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Sed confiſus infinitæ miſericordiæ tuæ, audeo cum eadem corde reſpondere tibi: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.*

16. Inſuper cum humili cẽturione toto corde contritus, & in te confidens, dico:
Domine non ſum dignus,
ut intres ſub tectum
cordis mei, ſed tantùm dic verbum,
& ſanabitur anima mea.

PARAPHRASIS CANTICI CANTICORVM.

In aliquot Textus myſticos primi Capitis, in qua animæ poſt Communionem conjunctæ cum DEO, amoris praxis exhibetur.

I.

Oſculetur me oſculo oris ſui &c.

1. OSculetur me oſculo oris ſui, o Deus amoris tui æterni inexhauſta dulcedo! Deitas ipſa plenitudo charitatis.

2. Me inquam animam opus oris ſui, cujus ore per Ver-

Verbum æternum facta sum, inter cujus labia vivam in æternum.

3. O os ſanctum! os Divinum, os mellifluum, os nectar mentis infinitũ, os creans, os vivificans, os indeficiens.

4. Os Pater, os Verbum, os Spiritus, os vitæ, os mentis, os veritatis, os gratiæ, os juſtitiæ, os bonitatis, os miſericordiæ, os virtutis & ſapientiæ, os per quod facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil.

5. Oſculare me in æternum hoc oſculo ineffabilis, incomprehenſibilis oris tui, & ipſum illud os tuum, quod me fieri juſſit, dicat ad me; ſicut locutus eſt Jacob ad filium ſuum dicens: *Accede ad me, & da*

mihi osculum fili mi. Genes. 27.

6. O dulcissime Deus nonnè toties te osculamur, quoties in amore tuo compungimur? *teste Augustino*.

7. Ecce accedo ut osculer te ore mentis in te effusæ, illo vero & immenso amore, quavero & immenso amore, qualem desidero, & qualem habere non valeo; quia hunc non nisi tu solus dare vales. Ergo saltim accedo ad te cum osculo peccatricis Sanctæ, quæ non cessavit osculari pedes tuos. *Luc*. 7.

II.

Quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.

1. ECce Domine inebriari cupio

cupio ſuavitate unionis tuæ.

2. Utinam diffluam in torrentem tibi, & dulcedo tua fiat mihi in potum, ut ſentiam & bibam, & ſicut infans ab ubere matris ſuæ ſatiatus, jucundari merear ad te ſuſpirans & cognoſcens, quia verè meliora ſunt ubera tua vino fragrantia ungventis optimis.

3. O Deus! tu Pater es & Mater mea, in te projectus ſum ex utero. *Pſalmo* 21.

4. De ventre Matris meæ Deus meus es tu, nè diſceſſeris à me, ſpes mea ab uberibus Matris meæ.

5. O quantò meliora ſunt ubera tua vino! vino hoc mũdi amaro, vino animæ ſoporantis, vino peccatorum, in quo obdormivi miſer tanquam dor-

dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo. *Proverb.* 23.

6. Verberâverunt me cogitationes meæ pessimæ, passiones meæ mortiferæ, & non dolui: traxerunt me cupiditates, & vitiorum illecebræ, & ego non sensi, quando evigilabo cogitans, & rursus vina reperiam?

7. Ecce miser nunc verè reperio, & in sumptione Sacratissimi Corporis tui verè sentio, quia meliora sunt ubera tua vino.

8. Ubera spei, ubera amoris, ubera fidei, ubera bonitatis tuæ, super quæ vera pace requiesco, sicut ablactatus super matre sua. *Psal.* 130.

9. O dulcissima ubera Corporis

poris & Sangvinis tui, quibus vivo & enutrior in vitam æternam.

10. Da ut hæc fragrantia uberum tuorum extingvat & annihilet ſordes vitiorum cordis mei, & veſtimenta mea ſint munda, plena odore, ut te audire merear in cælis: *Ecce odor Filij mei ſicut odor agri pleni.* Genes. 27.

III.

Oleum effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te.

1. SIt mihi oleum effuſum nomen tuum pertranſiens, & rimans intima viſcerũ meorum, & medullas cordis mei impingvans.

2. Nomen Sanctum, Nomen penetrans & fovens, suavitas animæ, & medulla pretiosissimi & æterni amoris.

3. Hujus Nominis gloria per universas creaturas diffusa, gaudium universi, tanquam oleum effusum, stillet in animam meam. ut exclamare cogar: *Impingvasti oleo caput meum.* Psal. 22.

4. O dulce Nomen in animam meam infusum, te cogitare mens tota desiderat, & sine fine possidere, ac velut oleo effuso præsentiâ Nominis tui impingvari.

5. *Sic benedicam te in vita mea, & in Nomine tuo levabo manus, sicut adipe & pingvedine repleatur anima mea*, ut nihil cogitet præter gloriam & dulcedinem Nominis tui.

6. Sanctificetur o DEUS meus Nomen Sanctum tuum, ſanctificetur in ſæcula.

7. Nihil ſit in mente mea præter dulce Nomen JESU, cujus Nomen permanet ante ſolem.

8. O dulciſſime JESU! ô JESU imago Patris! ô JESU Fili Dei vivi! benedictum ſit Nomen Majeſtatis tuæ in æternum, & repleatur tanquam Oleo effuſo Majeſtate tua omnis terra. *Pſalmo* 71.

9. Sed & cuncta arcana mentis meæ, Nomini tuo Sancto aperta, & cogitationes meæ tanquam Oleum ante te effuſæ: renoventur coram te, & Oleo Nominis tui abſtergantur ab omni inveterata macula, ut vocari valeant, om-

nes

nes cogitationes meæ adolescentulæ diligentes te.

10. Adolescentulæ inquam à Nominis tui fœcunditate reflorescentes, Adolescentulæ simplices ut columbæ, solo Nominis tui candore nitentes. Adolescentulæ Nomini tuo Sanctissimo in sacrificium oblatæ.

11. Et sic tota mens mea, & omnia viscera cordis mei in dulcedine nominis tui impingvata, tibi cantare valeant quod scriptum est: *Oleum effusum Nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te.*

IV.

Trahe me post te, curremus in odorem ungventorum tuorum.

rum. Introduxit me Rex in cellaria ſua.

1. O Fortitudo æterna! ô miſericordia! quæ neminem diligentem te deſeris, ó vera & unica dilectio!

2. O bonitas ſuper omnes bonitates optima! quæ quærentes te non repellis.

3. Nè relinquas me miſerū, nè diſceſſeris à me. *Pſalmo* 21.

4. Trahe me, ecce mens mea & omnes cogitationes meæ exclamant, poſt te curremus in odorem ungventorum tuorum.

5. Sequere ac feſtina ô anima mea, & nè tardaveris ſatiari dulcedine ubertatis Divinæ.

6. Ecce Sponſus tuus, ecce Rex tuus domi eſt, præſta te Deo, & ingredere cellaria gratiarum, quæ tibi pandit hæc bonitas immenſa, hæc dulcedo inexhauſta.

7. Ingredere cellaria dulciſſimi amoris Dei, guſta Deū, & ſatiare, dicens in humilitate cordis intra te lætabunda & gaudens: *Introduxit me Rex in cellaria ſua.*

8. O cellaria jucunda! ô cellaria plena! ô cellaria incomprehenſibilia! qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quanta ô amor meus præparaſti diligentibus te. *Teſtificante Paulo.*

9. Non miror ô JESU benigniſſime, ſi prodiga erga animas

nimas noſtras benignitas tua, tanta ex celarij hujus abundantia ſalus nobis propinata eſt, cum diceres: *Bibite ex hoc omnes.*

10. Ac deinde cum amicis tuis Deus verax, largitor bonorum, tàm liberaliter dulciſſimam cæleſtis potionis ſuavitatem promitteres: *Non bibam à modo de hoc genimine vitis, usq; in diem illam, cum illud bibam vobiſcum in Regno Patris mei.* Math. 26.

V.

Exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum ſuper vino. Recti diligunt te.

1. HÆc ſunt amoris tui cellaria,

laria, in quæ nos æterne Dispenſator mirabili dilectione tua induxiſti, exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum ſuper vino.

2. In hac uberum tuorum memoria, requieſcens anima mea, obdormit in te, inebriata dulcedine.

3. Et evigilans denuò recogitat, tot ubera, quot vulnera; tot amores, quot dolores.

4. O ubera manuum, ô ubera lateris, ó ubera pedum, ô ubera corporis, ô ubera ſangvinis, ô ubera redemptionis!

5. O ubera! per quæ vivimus, movemur, & ſumus! O ubera per quæ nobis vitam æternam ſuxiſſe datum eſt. O ubera! quorum memorem, vel gratum dignè fieri, nulli ſatis datur. 6.

6. O amantiſſime JESU! ſi tota vita mea in ſola cogitatione vulnerum tuorum efflueret, utiq; nihil mihi tali vita dulciùs, nihil optabiliùs nil profectò foret feliciùs.

7. Ceſſent ergo cogitationes, quieſcant affectus, fugiant deſideria, vileſcant omnia præter vulnera.

8. Ecce mens mea o bone JESU, in amore vulnerum tuorum tota deſiderio defigitur.

9. Adjuva illam, & fortifica me tibi, nihil enim poſſum ſine te.

10. Da, ut inceſſanter de vulneribus tuis cogitem, & per hæc à peccatis meis muniar. Quis enim niſi recti diligunt te? ſicut & tu diligis rectos, ipſa ſcriptura teſtante:

Quàm bonus Iſraël Deus, his qui recto ſunt corde! Pſal. 72.

VI.

Nigra ſum ſed formoſa Filiæ Ieruſalem: ſicut Tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.

1. SEd inter has cæleſtes jubilantis ſpiritûs delicias, recolligens iterum ſe ipſam miſera anima mea in peccatorum ſordibus involuta, præſentem & anteactam vitam ſuam reſpicit gemens.

2. Et quaſi ſponſa quæ luto deturpata, nec lota, ingredi thalamum ſponſi ſui reformidat.

3. Nigredinem ſuam accu-

ſat

ſat ante te, licet ſciat, quàm formoſa ſit in oculis tuis, quia imago tua eſt, & manus tuæ fecerunt eam, & plaſmaverunt eam: *Scit, quia tua eſt Domine, qui amas animas.* Sap. 11.

4. Quapropter non immeritò confidens in miſericordia tua, dum lavari à te cupit ſitiens ad te Deum fontẽ vivum ſuſpirans decantat: *Nigra ſum ſed formoſa Filiæ Ieruſalem, ſicut Tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.*

5. O Cedar voluptatum mundi hujus! quàm nigra ſit anima, formoſa licet creata ſit, nunc ſimilis facta vanitati.

6. Unde non mirum, ſi ad te o Deus ex tabernaculis mortalitatis hujus exclamat cum Propheta: *Heu mihi, quia incolatus*

latus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea.

7. Fateor Domine quia multùm incola in peccatis, multùm in immundis cogitationibus, multùm in curis & laboribus vanis.

8. Sed recordor o pietas immensa! quia mulieri diligenti te multùm, remisisti peccata multa.

9. Infelix incolatus, qui tam diu in me prolongatus est, propter quem tantoperè à te elongatus in peccatis meis hæreo.

VII.

Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decoloravit me ſol.

1. ECce nigra ſum ait anima, ſed formoſa, recordare Domine formæ quam plaſmaſti, crucis quam pro me tuliſti, ſangvinis, quem pro me fudiſti.

2. Ecce ſi vis Domine, potes me mundare. *Luc.* 5.

3. *Quis enim poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nonnè tu qui ſolus es?* Job 14.

4. Talia ſperans & dolens exclamat: & cogitationes cordis mei anxias, & gementes ſic alloquitur anima mea dicens: *Nolite me conſiderare quod*

fuſca ſim, quia decoloravit me ſol. Ecce habeo qui me valeat dealbare.

5. Si ſol vanitatis decoloravit me, en illuminare me poteſt ſol bonitatis.

6. O ſol juſtitiæ! ſol pulchritudinis, ſplendor Patris, ſpeculum ſine macula, lumen de lumine.

7. Cujus radij per intima viſcera cordis mei mirabiliter diffuſi, non dedignantur viſitare interna habitacula animæ meæ, dealba illa ſi fuſca ſunt; & adapta tibi. Ut ſint aliquando condigna tabernacula gloriæ tuæ.

VIII.

VIII.

Filij Matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis. Vineam meam non custodivi.

1. ECce confiteor tibi Rex cæli & terræ omnes infirmitates, & cuncta mala animæ meæ, qui solus sanare potes hæc moribunda intima mea, tu dedisti mihi intellectum & rationem, tanquam matrem animæ meæ, quam non dedisti cæteris animantibus, intelligentiam quoq; & voluntatem, tanquam filios rationis, ut obtēperarent huic matri, cujus tu solus Pater, & Sponsus, & Dominus es.

2. Unde o humane Plasmator non immeritò dixisti: *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, quâ gradieris, & firmabo super te oculos meos.*

3. Atq; deinde admonens. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Tam manifestè rationem Divinitatis tuæ lucem pro matre animæ assignasti, atq; eidẽ fratres veluti rationis filios intellectum & voluntatem mirabili providentia associasti.

4. Sed quid inde? Heu me miseram animam infelicem filiam rationis. *Filij matris meæ pugnaverunt contra me.* Intellectus scilicet & voluntas rebelles filij rationis, insani filij matris meæ, dum corruptelis carnis depravati sensibus magis

quàm

quàm rationi, magis servis, quàm matri facti sunt obedientes. O quàm graviter pugnaverunt contra me!

5. Sed quibus armis? coacervatis secum cupiditatibus, sagittis desideriorum & lingvæ, de quibus dictum est: *Sagittæ acutæ cum carbonibus desolatorijs*, cogitationibus perversis, & infinitis alijs peccatis quibus te offendi o Deus meus!

6. Hinc superbia, avaritia, ira, luxuria, gula, invidia, acedia, his pugnantes contra me dicebant: *Quis similis bestiæ, aut quis poterit pugnare cum ea.* Apocal. 13.

7. Quibus omnibus infecere vineam tuam, vineam virtutis, vineam salutis, vineam ope-

operum justorum, & sic me miseram posuerunt custodem in vineis, vineam meam non custodivi, sed quomodò custodire potui? si Filij Matris meæ pugnaverunt contra me.

8. O misera anima mea à filijs Matris tuæ oppressa! pro te meritò exclamare possum: *Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt, & qui juxta me erant, de longè steterũt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam.*

9. Hæc omnia mala animæ meæ, o benignissime Sponse! & Judex misericors! o JESU amantissime! ante te supplex & toto corde prostratus depono. Ecce benedicit anima mea tibi, & omnia quæ intra me

me sunt Nomini Sancto tuo. Tu propitiare omnibus iniquitatibus meis, tu sana omnes infirmitates meas, tu redime de interitu animam meam, tu corona me in misericordia & miserationibus. Psal. 102.

10. Tu scis, quia homo vanitati similis factus est, tu cognovisti figmentum meum. Recordare quoniã pulvis sum: *Homo sicut fœnum dies ejus, sicut flos agri sic efflorebit, quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, misericordia autem tua ab æterno, & usq; in æternum.*

11. O miserator, & misericors Domine, longanimis & multum misericors, non secundùm peccata mea facias, neq; secundùm iniquitates meas, retribuas mihi, sed sicut

miſeretur Pater filiorum, ſic miſerere mei.

12. Parce precor, quia te offendi, quia vineam meam non cuſtodivi, ciba me pane lachrymarum, & potum da mihi in lachrymis in menſura.

13. O Deus virtutum convertere, reſpice de cælo, & viſita vineam iſtam, & perfice eam quam plantavit dextera tua, & confirma me tibi. Pſal. 69.

14. Non diſcedam à te, vivifica me, & nomen tuum invocabo Domine. Deus virtutum converte me, & oſtende faciem tuam, & ſalvus ero.

IX.

IX.

Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas? ubi cubes in meridie? nè vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

1. INdica mihi o Pater æterne quem diligit anima mea, & fac me videre semper oculis mentis meæ hunc pulcherrimum Sponsum meum, in quem desiderant Angeli prospicere.

2. Hunc invisibilem ab oculis, hunc incomprehensibilem à sapientia, hunc Agnum sine macula, quem diligit anima mea.

3. Purissimum, patientissimum, misericordē, optimum,

viam vitæ & veritatis, fontem misericordiæ, & bonitatis.

4. Indica mihi, ut hunc solum intuear, hunc solum diligam, fac nè præsentia ejus, unquam ab oculis meis evanescas.

5. O Pastor bone! qui venisti quærere oves quæ perierant, nec salvare justos, sed peccatores, Indica mihi ubi pascas, responde quærenti. Recordor enim mitissime Jesu, quia Joseph cum missus de valle Hebron in Sichen ut quæreret fratres & pecora, inveniretq; eum vir errantem in agro, interroganti quid quæreret? dixit similibus verbis: *Indica mihi ubi pascant.* Ita & tu o via vitæ indica mihi ubi pascas, ut sciã ubi te inveniam,

6. Fac nè errans in agro hoc sine te diu detinear, in agro inquam vanitatis mundi hujus, & nè vagari incipiam post greges sodalium tuorum, sodalium inquam; scilicet hominum rerumq; mortalium, quorum commensalis sodalisq; propter me esse voluisti, manducans & vivens cum peccatoribus terræ. Fac nè vagari incipiam post greges creaturarum, sed soli amori tuo uti cupio, incessanter adhæream.

7. Et sicut vir ille errantem Joseph docuit viam veram, ita & tu ô potentissime JESU de quo scriptum est Zachar. 6. *Ecce vir, oriens Nomen ejus.* Indica mihi de te ubi pascas, imò potiùs indica te mihi ô bone JESU ubi cubes in meridie, sed quomodo in meri-

die, ſi oriens eſt Nomen tuũ.

8. Ubi eſt quæſo ô dulcedo mea hoc cubile tuum meridianum ? de quo te peto, ut indices mihi. O Sapientia æterterna ! jam intelligo, jam docuiſti me, jam oſtendiſti te mihi. Ecce video nudum corpus, extenſa brachia, inclinatum caput, pedes amantiſſimos diris clavis ad cubile hoc affixos, jam indicâſti mihi quẽ diligit anima mea.

9. O cubile ſanctiſſimum! ô cubile ſalutis ! ô cubile crucis ! ô cubile verè meridianũ ! ſuper quod hora ſexta pro redemptione mundi aſcendiſti, & ſangvinem tuum pretioſum in remiſſionem peccatorum meorum fudiſti.

10. Hoc dulci & amaro ſimul

mul corde recogitat anima mea, ô amator mundi benignissime! Video quia in hoc cubili tam pretioso obdormivisti, sicut scriptum est Psal. 3. *Ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me.* Suscipe me igitur in hoc cubile tuum, ut mihi dulce sit pro nomine tuo omnia pati.

11. Illumina oculos meos, nè unquam obdormiam in nocte, nè in illa tremenda hora dicat inimicus meus prævalui adversus eum, scio enim quia in vigilantia mea pereo, nisi tu sic dormiens custodieris me, quia imperfectum meum viderunt oculi tui.

12. Tu scis insipientiam meam, tu possedisti omnia intima

mea, vanum eſt mihi ſoli ante lucem ſurgere.

13. Unde non invanum ad te clamo cum Diſcipulis tuis in navicula illa turbatis Præceptor perimus. Et cum Propheta exclamo: *Exurge quarè obdormis Domine, exurge & nè repellas in finem, exurge & adjuva me propter nomen tuum, fruſtra enim ex me vigilo, niſi tu cuſtodieris.*

CAPUT XXII.

De virtute & valore Sacrificij, & qualis uſus ejus ſit, quale, & quantum animi remedium, & quàm pretioſa & efficax vitæ æternæ medicina.

XXII.

1. EMundatus per pœnitentiam animus humanus, & gratiâ per Euchariſtiam roboratus, habet pretioſiſſimum antidotum ſalutis ſuæ per Sacrificium, quod Deo quotidie offerendo, ſe Deo jungit mente, & gratiam Dei ſibi conſervat pretio incomparabili Boni oblati, quod pretioſiſſimum eſt coram Deo, & quo mediante homini petenti ſalutem Deus nullatenus denegare poteſt.

2. Tale eſt Sacrificium Miſſæ, ſive oblatio veri corporis & ſangvinis Filij Dei, remedium fundatum in verbo & promiſſione Filij Dei, qui Verbum eſt Patris Sacrificium ſaluti efficaciſſimum. Quid e-

enim

nim pretiosiùs coram æterno Patre, quàm merita Filij ejus? effusio sangvinis pretiosissimi, cujus oblationis pretio nil Deo ab homine sanctiùs majusq́; offerri potest.

3. Omnia Sacrificia quæ à principio mundi ab hominibus practicata sunt, non fuerunt aliud, quàm mysteria sive figuræ oblationis Corporis & Sangvinis Filij Dei, etiam in profanis Paganorum sacrificijs verum Sacrificium quærebatur, sed ignorantiæ error malitia dæmonis, obstitit quærentibus. Abel, Abraham, Melchisedec, & cæteri pura mente quæsiverunt sacrificare Deo. Nec æqua virtuti bonitas denegavit cognitionem sui, & pretium tantæ oblationis

ſincero corde petentibus, præveniendo conceſſit in figuris; his: qui pretioſiſſimam Filij ejus redemptionem fide, & ſpe prævenerunt.

4. Quantò magìs animus in felicitate veræ fidei conſtitutus, totam mentem, totamq́; ſpem in tantæ oblationis & ſacrificij pignore collocare debet. Quâ fide hoc Sacrificium offerre? quanto deſiderio ad dignè offerendum contendere? quanto amore tanti valoris antidotum proſequi? ſciendo quod nihil digniùs, nihil pro peccatis noſtris efficaciùs Deo Patri offerri poteſt, quàm Filij ejus Corpus & Sangvis, hoc unicum periclitantis animi remedium ſupereſt, ſi intenſa mente dijudicetur, ſincero de-

ſiderio appetatur, puro corde offeratur, perfecto amore recolatur.

5. Quod ſi Deus omnibus in nomine ſuo petentibus dare jubet teſte Evangelio: *Si quis petierit vos in nomine meo, date illi*. Quomodo per Sacrificium Filij ſui petentibus ſalutem æternam recuſare poteſt? pro cujus aſſecutione ipſe Sacerdos & victima eſſe voluit.

6. Sacerdos dum ſacrificat nomine populi ſacrificium offerentis conſecrat hoſtiam, nihilq; magìs pro ſe, quàm pro univerſis offerentibus agit coram Deo. Ideo dicit: Orate ut meum ac veſtrum ſacrificiũ ſit acceptabile coram Deo. Sacrificante itaq; Sacerdote, dum quiſq; victimam proſe-

qui-

quitur mente cum offerente, ipſe eodem modo ſacrificat, & antidotum ſalutis æternæ animo parat, fide meretur, amore acquirit, valoreq; tam efficacis Sacrificij aſſequitur.

7. Mens æterna per Verbũ æternum ad ſe loquentibus nil recuſat. Verbum fit Hoſtia, imò Hoſtia Verbi Divini, pretioſiſſimum pignus mentis æternæ, quo mundus factus eſt, & quo ſtetit priùs quàm fieret, immutabile, indeſinens, inalterabile, efficax, perpetuũ, juxta illud Pſalmiſtæ: *Semel locutus eſt Dominus*. Quod Deo Patri vero corde ſacrificatum, trahit Deum ad vinculum promiſſionis per mediationẽ Verbi Caro facti in Sacrificium oblati.

8. Sacrificium ergo Corporis & Sangvinis JESU Christi, est reciprocatio pignoris inter Deum & hominem, nempè Deus obtulit homini Filium suum ex summo amore, Filius suscepit munus oblationis in corpore humano juxta textum Prophetæ: *Oblatus est quia ipse voluit.* Homo quoq; offert Deo Patri Corpus & Sangvinem Filij ejus, cujus particeps est in Christo Filio Dei, per communionem carnis & sangvinis, ipso Christo volente, potestatemq; dante se in sacrificium offerendi, dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem..*

9. Tantum oblationis Sacrificium per electum Sacerdotem & legitimè ordinatum,

ritè

ritè completum, est continuatum Antidotum æternæ salutis animi humani. Quo merito, nil animo ad conservationem salutis efficaciùs esse potest?

10. Ad dignè sacrificandũ, meritumq; acquirendum hæc præcipuè requiruntur. Tota animi applicatio ad cognoscendum tantum pretium oblationis; summum desiderium & spes assequendæ gratiæ. Inseparabilis amor erga Christũ, & per Christum erga Deum Patrem, & Spiritum Sanctum in unione totius Sanctissimæ Trinitatis intensus; firma & præsens intentio offerendi cũ Sacerdote hanc victimam sufficientissimam ad satisfaciendum Deo, & acquirendam gratiam.

11. Ante Sacrificium Missæ recolligat animus in se omnes motus amoris spei, & desiderij, offerendiq; Deo Patri in Hostiam & Sacrificium Corpus & Sangvinem Filij ejus. Quod cogitet & meditetur intensè, dirigendo intentionem sacrificandi pleno nec abstracto animo, dirigatq; ac offerat intentionem suam brevibus & claris verbis, quorum exemplum sit tale.

Directio mentis cum intentione ad Deum ante Sacrificium Missæ.

1. QUid reddam tibi o Creator meus pro eo quod creasti me?

2. Quid exsolvam tibi o Re-

Redemptor meus pro eo quod redemisti me?

3. Quid offeram tibi o Illuminator meus pro eo quod illuminasti me?

4. Quid retribuam tibi Domine pro omnibus quæ tribuisti mihi, vel quid pro his sacrificabo tibi?

5. Nil habeo quod non tuũ sit, nil invenio quod te dignũ sit.

6. Quia etiamsi omne universum tibi offerrem, hoc nec meum est, nec te dignum, quoniam omne pretium mundi ante oculos tuos arena est exigua, & omne aurum tanquam lutum æstimabitur in conspectu tuo.

7 Sicut momentum staterae, sic ante te orbis terrarum, & tan-

& tanquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram.

8. Quid igitur sacrificabo tibi Domine Deus meus? Quãvis enim indignus nihil habeam quod meum sit, vel quod te dignum sit, sed tu Domine dignus es accipere, quod ego indignus sum dare. Nempe: dignus es accipere benedictionem, gloriam, & honorem.

9. Solam tamen & unicam rem habeo, quæ & verè mea, & verè te digna dici potest, scilicet Pretiosissimum Corpus & Sangvinem Filij tui Domini & Redemptoris mei.

10. Hoc verè meum est, hoc verè te dignum: meum; quia propter me natum, quia mihi datum, quia propter me oblatum. Te verò dignum; quia

quia una eademq́; tecum, imò consubstantialis Deitas.

11. Hoc ergo tibi offerre intendo. Suscipe Domine flagrans desiderium quo tendo ad te. Præsta ut Sacrificium hoc tib sit gratum. Et quia indigna mens tanti mysterij futura, supple actum ipsa validitate mysterij. Corrige indignitatem tanti pretio Sacrificij.

12. Et sufficiat tibi pignus Sacratissimi Corporis & Sangvinis Filij tui. Quia ex me nihil habere possum, nec habeo, quod tibi sufficiat.

Quomodo consideranda audiendaq́ Missa?

1. AUdire Missam, est considerare mente omnia

puncta Sacrificij, nempe: orationis, oblationis, consecrationis, & consumptionis.

2. In oblatione, consideratur Christi humanitas. In consecratione Divinitas, in sumptione utriusq; unio.

3. Mysticè vero. In oblatione consideratur Christi vita, in consecratione mors, in sumptione Resurrectio & Gloria æterna.

4. Mente igitur magìs quàm ore orandum est in Missa, ipsaq; mentis applicatio cum fide & devotione intensa, totam vim habet orationis.

5. Meditari itaq; & considerare singulas partes Missæ, & vim energiamq; illarum ex mente ad cor referre, ex corde ad Deum dirigere; verus

& effi-

& efficax eſt modus proficuè audiendi Sacrificij.

CAPUT XXIII.

Inter remedia animi recenſetur Meditatio, & quàm efficax ſit illius fructus, & ſalutaris animi medicina contra contagiũ malitiæ, oſtenditur: modusq́ porrigitur.

XXIII.

1. NOn poſtremum animi humani remedium ſequitur, vera & proficua Meditatio, quia nunquam efficaciùs animus quàm ipſomet animo curatur.

2. Cogitatio eſt officina veritatis-

ritatis; Meditatio verò eſt eſſentia cogitationis. In cogitatione laboramus, in meditatione requieſcimus. Cogitatio eſt motus animi indeterminatus; meditatio eſt determinatio mentis ad finem neceſſarium. Cogitatio eſt libertas ſpeculandi in animo rem aliquam ſive in bonum, ſive in malum finem ſinè præfixo termino à directa voluntate; meditatio eſt contemplatio cũ affectu rei ad bonum finem determinatæ. Unde cogitatio format & aperit reſolvendi dubietatem; meditatio conſtituit & claudit rei bonæ certitudinem. Meditatio itaq; eſt ſincera claritas rei cogitatæ ad cognitionem, dilectionem, & aſſecutionem ſummi

boni

boni intenta, unde naſcitur intentio, ex intentione meritum, ex merito conſecutio ſalutis animi.

3. Meditatio autem occupatur circa Deum vel ſeipſum.

4. Ex cognitione ſui ipſius progreditur homo ad contemplationem, & cognitionem Dei, ex cognitione ad amorẽ, ex amore ad unionem, ex unione ad vitam. Homo ergo imprimìs contemplandus eſt hoc modo.

Cognitio ſui ipſius.

1. HOmo duplex eſt ex corpore, & anima, ex illo mortalis, ex hac æternus.

2. Fuit & non fuit, antequam naſceretur. Fuit in men-

mente Patris, in potentia Filij, in virtute Spiritûs Sancti. Non fuit in corpore sicut & mundus non fuit antequam à Deo fieret, quia & ille corporeus est ut homo. Et sicut fuit, & non fuit antequam nasceretur, ita erit, & non erit, postquam morietur. Non erit quidem ad tempus consumationis naturæ, & in pulverem reducetur, sed erit post consumationem dierum in anima sua immortalis, & cum corpore ad gloriam surrecturus.

3. Hinc cogitemus quantùm distet conditio hominis mortalis à conditione hominis æterni. Homo mortalis nascitur ad mortem, homo æternus nascitur ad vitam, homo mortalis sive corporeus, cor-

pus accipit ab homine mortali, ideo eſt mortale. Homo immortalis accipit animam à Deo æterno, ideo eſt æterna. Homo corporeus ex materia mortali nimirum fermento humoris generativi accipit corpus. Homo æternus ex lumine mentis æternæ, animam capit rationalem, ideò eſt æternus.

4. Videamus ergo quanta diligimus, & quanta negligimus. Diligimus brevitatem, negligimus æternitatem. Diligimus hoc quod non eſt durabile, quod eſt corruptibile, amiſſibile, oblivifcibile, negligimus incorruptibile, incellabile, inamiſſibile. Diligimus tranſitum umbræ, negligimus perennitatem lucis.

Quod videns exclamare cogitur Propheta: *Filij hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem. & quæritis mendacium.*

5. Vita noſtra tempore mẽſuratur quod velociſſimum eſt, nec retineri poteſt. Tempus ex motu aſtrorum] cõſtituitur, quæ rapidiſſima ſunt. Unde nec tempus noſtrum dici poteſt, quamvìs Seneca affirmet, omnia aliena nobis, tempus tantùm noſtrum eſt. Noſtrũ, ſi illud mente cum æternitate conjungamus. Alienum, ſi illud ſeparemus per corruptibilia à fonte temporis inceſſabili, qui eſt Deus. Tumtemporis non noſtrum tempus erit, ſed tempus tranſitûs irrevocabilis, tempus hominum,

non

non noſtrum, ſed alienum, tempus fortunæ fallacis, tempus cupiditatum, tempus adverſitatum, tempus æmulationum, tempus aularum, tempus mendacij, tempus vitæ tranſeuntis, tempus diſtractionis mentis, tempus corruptionis corporis, tempus medicorum, tempus inimicorum, tempus paſſionum, tempus continuæ peregrinationis ad mortem, tempus deniq; reſolutionis in pulverem. Unde ſic meliùs mutare cogor Senecæ effatum, & dico: Omnia nobis aliena ſunt, Deus tantùm noſter eſt.

6. Deus tantùm noſter eſt, quia perpetuitas noſtra in illo eſt, ad quem revertendum nobis eſt, in quo perpetuò vi-

vendum. Quo artifice & datore induenda eſt veſtis æternitatis noſtræ, & exuenda tẽporalis & corruptibilis, cujus uſus tam brevis eſt & tranſitorius, tam ſubjectus maculis & corruptibilis, ut indignum ſit nobis, vel momentum cogitationis noſtræ pro eo impendere, quod velut umbra præterit.

7. Cognitâ igitur hoc modo rapiditate ac corruptibili brevitate corporeæ naturæ in homine, concludendum eſt hic debere nos æternum hominem inchoari, & in continuatione æternæ vitæ cum Deo vivere, commutando hominem corporis, in hominem mentis, timorem mortis in deſiderium vitæ, ærumnas natu-

ræ in fruitionem Dei, afflictiones mortalitatis in ſolatia æternitatis, totum deniq; hominem in ſolum Deum, ſicut totus Deus in ſolum hominē. Illud ſemper ſapientiſſimi Doctoris effatum ad Deum in corde dicentes: Hoc à te non ſine magna ſapientia Chriſte conſtitutum eſt, ut res omnes hujus vitæ, incertæ atq; inſtabiles ſint, nempe, ut rerum firmarum ſtabiliumq; amore ac deſiderio inardeſcamus, imaginemq; illam quam à te Divinitûs accepimus, diſcamus puram atq; integram conſervare.

Cognitio DEI.

1. VNus, Trinus, & Incomprehenſibilis DEUS, u-

nus per lumen naturæ tanquã Creator à creaturis. Trinus à Redemptore per redemptionem, & ſcientiam traditam de Trinitate, totus Incomprehenſibilis per doctrinam à Spiritu Sancto naturâ, doctrinâ, & revelatione cognoſcitur.

2. Inprimis homo poſt creationem à Deo edoctus in Paradyſo de natura ſui unde eſſet, vidit, quia Creatorem conſpexit, boni & mali ſcientiã hauſit, Sacrificium inſtituit, Filijs Deum eſſe tradidit, quem ſtatim Caim & Abel ſacrificijs recognoverunt, & Deum ac Creatorem ſuum ex ſenſu naturæ & ſcientia revelationis nullatenus dubitaverunt.

3. Primus effectus cognitionis Dei & veri Creatoris in homi-

hominibus fuit timor. Non potuiſſent enim timere, ſi eum neſciviſſent eſſe. Adam fugiens ab arbore vetita Deum timuit accedere, Caim poſt fratricidiū maledictus à Deo, profugus per orbem, metu corripitur, indignationẽ Dei præſentis audivit, & ideo timuit: quia verum Deum adeſſe ſcivit. Fabricatores Turris Babel præſentiâ ſuâ Deus tanto terrore confudit, ut inexplicabili lingvarum diverſitate ſibi ipſi obſtarent.

4. Sed non modò primis creatis hominibus malis æquè ac bonis Deus eſſentiam ſuam manifeſtavit, verùm & ſubſequentibus ſæculis primis Patriarchis Viris Sanctis per ſeipſum innotuit. Noé allocu-

tus

tus eſt, & fabricam Arcæ illi commiſit, per quam mundi ſalus ſervaretur. Abraham tam perfectam Dei cognitionem & ſcientiam habere meruit, & ex vera cognitione tantum Dei amorem adeptus eſt, ut jubenti Deo: Filium ſuum in Sacrificium immolare non recuſaret. Tanta obedientia teſtis fuit cognitionis & ſcientiæ veræ Dei, tam nota gratitudo Dei erga hominem inde extitit, ut Filium æternum, ex generatione Abrahæ corpore indutum, æternus Pater pro ſalute humani generis in victimam promiſerit, & deinde promiſſum adimpleverit.

5. Non ergo ſola cæca fides, aut juſtus ſolum naturæ de Creatore ſuo ſenſus, ſed

evidens scientia Patrum nostrorũ nos docuit, Deum esse vivum & verum Creatorem omnium visibilium & invisibilium, quem Patres nostri non tantùm crediderunt, sed luculenter sciverunt esse Deum, Dominum, & Factorem suum. Ideo sapientissimi vatum nunquam locuti sunt de Deo per fidem, sed per scientiam veram. Sicut Salomon loquitur Textu tali, Sapientiæ nimirum libro: *Vani autẽ sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei.* Non dicit fides, sed scientia testis fidelis certitudinis, & indubitatæ cognitionis. Ita & Job pari modo testatur in libro suo dum ait: *Scio quod Redemptor meus vivit.* Non dicit credo, sed

ſcio, quia de Deo perfectam ſcientiam habuit, cum quo loquebatur, & cui ſe ſe, voluntatemq; ſuam tanta patientia reſignavit.

6. Scivit præterea Deum & Moyſes, cùm quo ut teſtatur Sacra Scriptura, os ad os locutus eſt, qui populum electũ à Deo, juſſu Dei eduxit ex Ægypto, Præcepta Dei accepit in Tabulis, tantiſq; miraculis aluit eundem populum per invia & deſerta tranſeuntem. Quæ omnia facta ſunt in fundamento promiſſionis Dei, ut & terra promiſſionis fundaretur, in qua generatio Filij Dei Meſſiæ veri, & Redemptoris noſtri fieret, & compleretur quod Deus promiſerat Abrahæ ex ſemine ejus futurum.

7.

7. Quæ vera Patrum à primo Homine inchoata de vero Deo ſcientia, per continuam traditionem & conſequentem Dei notitiam & opera ejus mirabilia & incomprehenſibilia uſq; ad adventum JESU Chriſti, teſtis fidelis de Patre, & Patris de Filio, ſemper fuit nota Viris Sanctis, & dignis ſcientiæ Dei.

8. Redemptor verò generis humani Chriſtus Filius Dei in corpore, ex voluntate Patris aſſumens corpus humanum, ipſe teſtimonium dedit de Patre, ut teſtatur Evangelium multis in locis dicente Chriſto: *Nemo novit Patrem niſi Filius.* Et Pater de Filio teſtimonium præbuit: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi benè* com-

complacuit, hunc audite. Idem & de Spiritu Sancto testatus est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, salvus esse non potest.* De tota verò Divina Trinitate indivisa ac inseparabili & coæquali nos docuit per Apostolos, quibus sic locutus est, mittens eos per orbem terrarum: *Ite docentes & baptizantes eos: In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

9. Cognito ergo per tam evidentem scientiam non modo fidem Trino & Uno Deo, cognito Redemptore Christo JESU & Spiritu Sancto, cognita via salutis æternæ, cognito summo valore pretiosissimæ mortis & passionis Filij Dei. Quid restat agendum? nisi

nisi firmiter credere, indesinenter amare, indubiè sperare, operibus præcepta Dei adimplere, charitate proximi amorem in Deum testari. Cognitâ verò sui ipsius conditione, cuncta vitæ hujus vana & transitoria existimare, ijs libenter pro Deo renuntiare, sola æterna appetere, merita Redemptoris unicum hominis bonum ac pretium firmiter censere, in cogitatione continua vulnerum & passionis ejus, omnem suavitatem, dulcedinem, ac desiderium collocare, in hoc solo lætari, in hoc sperare, in hoc tutò peccati noxas lachrymis nostris eluere, in hoc continuò meditari. Hæc sola vera omniū animi nostri remediorū essentia esto.

PARAPHRASIS MEDITATIONIS
IN ORATIONEM DOMINICAM.

PATER. Factor lucis & vitæ per se, sinè principio.

Noster. Per Filium in principio, noster amore per Spiritum Sanctum sine fine, qui omnium nostrûm amor, vita, & salus existis.

Qui es. Fuisti & eris per sæcula in æternum sine fine, & omnes in te vivemus.

In cælis. Ubi semper infinitus eras antequam quidquam fieret, solus Deus & Dominus universi.

Sanctificetur. Omni gloria, virtute, laude, ab omni creatura,

tura, & à me misero peccatore.

Nomen tuum. Sanctum, ineffabile, tremendum, quale coluerunt antiqui Patres, quibus illud revelasti, in simplicitate, fiducia, & virtute magna.

Adveniat Regnum tuum. Regnum omnium sæculorũ, Regnum vitæ & felicitatis perpetuæ in Christo JESU Domino nostro, cujus sangvine liberati sumus ad vitam æternã. Hoc Regnum desidero sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, quando veniam & apparebo. Renuntio mundo constanter libensq́; & vitæ huic, ut tantùm Christum in gloria videre merear.

Fiat

Fiat voluntas tua. Quæ melior est omnibus bonis, quæ sensus capere possit. Dico: Fiat voluntas tua tali corde, quali Christus dixit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Cum tibi factus esset obediens usq; ad mortem. Et quidquid creaturarum: *Est in cælo, & in terra.* id totum mecum flagrantissimè exardescat, nil magìs velle quàm voluntatem tuam.

Panem nostrum quotidianum da nobis. Quia omnia à te expectant ut des illis escam. Feliciùs est credere providentiæ tuæ, quàm nostræ, nihil enim est in oblivione coram te.

Da nobis hodie. Cras enim non est nostrum. Dies nostri sicut tela aranea meditabuntur. Crastinum non desidero, cupio

cupio dissolvi & esse cùm Christo, quia melior est dies una in atrijs tuis super millia.

Et dimitte nobis debita nostra. Quia tu cognovisti figmentum nostrum, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, quia tu solus es qui peccata dimittis, quia verè doleo te offendisse, quia etiamsi peccaverimus, tui sumus.

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nemo enim me offendit, nisi qui te. Nec ipse scio an amore tuo vel odio dignus sim.

Et nè nos inducas in tentationẽ. In manu enim tua via hominis, quoniam spiritum meum ego ignoro. Unde reduc me Domine in viam rectam, & amove me à via mala, à super-

perbia carnis, & concupiſcentia oculorum, ut nihil diligam præter te, qui es ſolus ſummum bonum.

Sed libera nos à malo. Non quod ego judico, ſed quod tu ſcis malum meum eſſe. In manibus enim tuis ſortes meæ. In te projectus ſum ab utero, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges, Angelis tuis mandaſti de me, ut cuſtodiant me in omnibus vijs meis. Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabo, & conculcabo Leonem & Draconem. Quoniam tu es Domine ſpes mea.

A M E N.

FINIS.

THEO-

THEOMVSA

Sive

Doctrina Fidei Christianæ.

Primum Polono, ac dein Latino Carmine

DESCRIPTA

Ab uno eodemq;

AUTHORE.

S. L.

Ecclesiastes Cap. 12. ver. 11.

Verba Sapientum sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per Magistrorum Consilium data sunt à Pastore uno. His ampliùs Fili mi nè requiras. Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo.

THEOMUSA.

LUmina mente canam, veræq; abſconſa ſalutis
(Quod opus eſt hominis) fidei lucemq; beatam:
Cerberei morsûs quæ ſit medicina? docebo.
Divitias animis, æternæ & dogmata mentis,
Dicere fert animus: penes hæc puerilia quæq;
Atq; artes, luſus meruêre & vana vocari.
Mentis meta Deus, ſola ars mandata tueri,
Cætera ſunt animis labor, & ludibria noſtris.
Nec pudet hic Muſam terga Aræ, & arundine tergi
Pro Deo, & abjecti ſtipulam geſſiſſe ſacelli:

Nam præſente Deo, forſan ſuper Hectora nemo
Proſiluit, mihi ſit decor hic Tyrunculus eſſe.
Spiritus Alme, Sacer Deus, ô lux intima mentis!
Te ſinè quis capiet, vel quis cognoſcere Trinum
Numen, & Imperium ſumma Deitate perenne?
Quis placuiſſe Deo valuit ſinè crimine tutus:
Tu cuſtos animi, cordis, fideiq; Magiſter,
Tu regere imperio mentes, & ſternere factis
Ardua, & æternum Superis Helicona movere
Flamine cor, radijs calamum, luſtrare memento.

DEVS

I.

DEVS sola causa omnium, & ejus bonitas.

NIl erat ante ævum, Deus indidit omnia cunctis,
Solaq; causa rei, Bonitas, Auctorq; bonorum.
Lumina qui mundi, vitasq; & tempora fecit,
Æthereas mentes, orbes, hominemq; creavit.

II.

Gratitudo Auctori per fidem in illum.

PLasma Creatori grates, si pendere debet,
Ergo ritè Deo, mentes & corda feremus:
Sed quia nec ratione capi, nec mente Creator

Stare poteſt, tunc ſola fides
hoc ſuppleat artis.

III.

Fundamentum totius fidei Sanctiſſima Trinitas.

MEnte Tripar Deus eſt, uno
ſub Numine clauſus
Æternus Pater eſt, æterni ante
omnia Nati,
Parq; Patri Natus, quorum de
lumine compar
Spiritus, hinc almæ fidei mo-
limina conſtant.

IV.

Explicatio myſterij & æqua-litatis in Trinitate.

HÆc tria ſunt unum. Trinis
non ſcinditur unus
Perſonis, nec tempore, virtu-
te, aut Deitate.

Sed sibi Tres similes, æquali
Numine quorum
Indivisa, simulq; una est, non
terna potestas.

V.

Trinitas nullo tempore inæqualis.

SIt tibi falsus obex, esse in
Genitore vetustas,
Quòd soleat major, superans
in tempore Natum,
Non secat Æternam Mentem
mensura dierum;
Nec senior Deus est, aut ullo
junior ævo.

VI.

Relatio Personarũ, & Deitatis incomprehensibilitas.

HOc scivisse sat est, Pater,
& quod Filius, atq;

Spiritus, aut alio conversi ex
ordine secum.
Est Deus idem unus: quem
nulla scientia mentis
Continet, hæc Fidei basis est,
axisq; salutis.

VII.

Creatio hominis, & vitæ æternæ amissio.

HIc Deus ex nihilo nos fecit Trinus & Unus;
Et sic factus homo vivens Deitatis Imago,
Hæres æternæ (sed quorsum gaudia) vitæ,
Tartarei captûs colubri, quæ perdidit arte.

VIII.

Misericordia Dei, & Redemptoris providentia.

At De-

AT Deus Omnipotens, cupiens mortalia lapſu
Soluere, & æternis deponere Averna lacertis
Divinam ſobolem mortali in corpore morti
Obijcit, atq; hominis labem Deus eluit ipſe.

IX.

Regeneratio vitæ per Filium Dei in corpore.

NEc potuit quiſquam preſſus ſub pondere lethi
Erexiſſe alios, fieriq; ex morte Redemptor
Qui mortalis erat, ſed fit Deus en novus Adam
Reſtaurare hominem cupiens in corpore JESU.

Per

X.

Per Verbum salus, Verbum autem est Filius Dei.

SEd potuit (dices) tunc sola Potentia Verbi.
Non labor ipse Dei lapsos revocare saluti?
Recte: ast obijciens antiquos consule Vates:
Invenies verbum, Divinam Nomine Prolem.

XI.

Verbi Dei ab humano differentia, & perennitas.

ESt hominis verbum nihili nihil, umbraq; venti,
Mentis at æternæ vivens, de Numine quorum
Spiritus, hic compar menti, verboq; voluntas

Clau-

Clausit in humano Divinum corpore verbum.

XII.

In Verbo creatio, in Verbo quoq; salvatio hominis.

VErbum vitæ animas nobis & corpora fecit:
Non aliud verbum potuit quoq; ferre salutem
Verbum quod Soboles (idem est) æterna Parentis
Idq; caro est nati, quod dicta Potentia Verbi.

XIII.

Verbum consentiens Patri. incarnatur in Hostiam pro nobis.

SIc concors animo Verbum Natusq; Parenti,
(Dissentire Deus nequiens) est Hostia nostri Mox

Mox sceleris, Carniq; adjuncto Numine mortem
Extirpare potens, vult nasci in corpore Verbum.

XIV.

Lapsus Angelorum Filium Dei, non agnoscentium.

LUcifer hinc rabiens maledictaq; turba draconis,
Invida fæx Orci, venturo in carne tonanti,
(Proh meminisse nefas!) genuum flexisse superba
Dum negat; ipsa ruens caput in fera tartara sparsit.

XV.

Præsagia & Figuræ Verbi in Carne venturi.

TUnc Pater æternus cupiens cunabula nati
Laudibus humanæ meliùs clarescere menti,

Divino afflatu per nuntia Carmina vatum
Pollicitus Christum, voluit micuisse figuris,

XVI.

Isaac, Agnus, Serpens.

LUserat hoc Isac, fausto sed fine tragædus,
Exodeusq; Agnus, Numerûsq; volumine notus.
Illeq; deserti coluber paradisea vincens
Quo serpente Deus prænuntia sibila misit.

XVII.

Patrum de venturo Messia fides eadem quæ nostra de Incarnato.

HÆc fuit ac veterum (quâvis non venerat ante
Tectus carne Deus) fidei sententia quodq;
Indueret carnem Salvator, corde ferebant Speq;

Speq́; fidem coluêre rei, quam credimus & nos.

XVIII.

IESVS, & ejus Nativitas ab Angelo nuntiata, & Conceptio per Spiritum Sanctum.

CRedimus in noſtra quod natus carne Redemptor Angelicoq́; priùs prædictus ab ore Mariæ,
Hic ſit non alius conceptus flamine Divo,
Vera Dei Soboles, & noſtræ cauſa ſalutis.

XIX.

Nulla immutatio Deitatis per incarnationem.

NEc natura Deum quidquã mutavit ab illo
Qui fuit ante Deus, non hinc minor, indeq́; major
Extitit, aſt idem qui Æterno in Numine natus

Unus homo & Deus eſt, diva
compagine junctus.

XX.

DEVS in terras venit nullo motivo, niſi bonitatis.

NEc ſua cauſa movens hic
duxit ab æthere ſummo
Deſcendiſſe Deum, Deitas nõ
indiga terræ,
Sed ſola bonitate venit: quas
fecerat idem
Reſtaurare libens animas; non
morte coacta.

XXI.

Per Incarnationem nulla in Trinitate fit ſeparatio.

NEc disjunctus erat Deus
inde, ubicunq; ſupernus
Ulla nec æternum ſecuit Genitura
Trientem
Nam Deus indiviſus, & eſt
ſuper omnia præſens

Claudit & indiſtans non impare cuncta pugillo.

XXII.

DEVS ubiq; identitas.

TEmpore, ſorte, loco, (mortalis carnis adinſtar)
Stare Deum; cogitare nefas: nam corpore natus
Sit licet; hic pauper, ſit dives; permanet idem
Rex Superum, cæloſq; Deus, terraſq; revolvens.

XXIII.

Cur IESVS pauper natus eſt?

SEd neq; divitias, aut præmia quærere mundi
Prodijt, aſt animas, æterni nobile lucrum
Numinis, his arſit, non quæſiturus honores,
Namq; Deo gaza eſt animus, virtuſq; ſupellex.

XXIV.

Quæsitum venit animas, non opes.

TAnta perire dolens, supe-
rumq́; ut digna doceret
Lucratusq́; animas, æternis
corpora demum
Humana in proprio sociaret
corpore sæclis;
Non nasci, nec carne mori,
Deus ipse negavit.

XXV.

Nativitas IESV, & promissorũ de eo adimpletio.

SIc Deus æternus de Virgi-
ne corpore natus,
Primævà tetigit, quam nulla
ab origine labes,
Circumcisus adest venerando
Nomine JESU,
Nec legem, nec vota Patrum,
vatesq́; fefellit.

Doctrina

XXVI.

Doctrina vitæ, & Baptiſma inſtitutum.

TErdenis, Terniſq; manens hic incola luſtris,
Vitæ ſumma docens, operum, fideiq; Magiſter.
Baptiſari homines undâ præcepit, ut hæc ſit
Nomine fuſa Patris, Natiq; & Flaminis almi.

XXVII.

Teſtimonium Patris de Filio poſt Baptiſma.

PRæſtitit inde ſacri, ſubiens exempla laboris
Flumine Jordanis Baptiſatusque Joanne,
Teſtificante Deo de cælo carmine tali:
Hæc mea grata mihi Soboles, huic credite cuncti.

XXVIII.

Virtus & necessitas Baptismi ad salutem.

CRedimus atq; ideo quod sit Baptisma salutis
Fons Fidei, vitæ radix, animæq; lavacrum
Signans nota Deo, velut intima vincula Trini
Numinis, hæc cunctos lex est gestare fideles.

LXIX.

Apostolorum Institutio.

SIc jam factus homo Deus, ipse & Corpore Christus
Erigit æterni fundamina mox nova templi
Bissenosq; fide, sibi Prodigijsq; Magistros
Imbuit, ut doceant Jesumq; in Numine pandant.

Euchari-

XXX.

Eucharistiæ Institutio.

MEntibus hinc veræ fidei, sic semine jacto
Ultima Discipulis præstans convivia cœnæ,
Pane meroq; suam nobis cum Sangvine Carnem
Antidotum vitæ dignè sumenda reliquit.

XXXI.

Fides de Eucharistia qualis?

CRedimus hinc, Jesus quod clausus Pane Redemptor
Idem Carne Deus sit, qui super æthera regnat,
Sumaturq; licet divisim, est attamen unus.
Omnibus infractus, per singula fragmina totus.

XXXII.

Nil Deo impossibile.

Nec

NEc stupor his teneat mentes, si novimus omnis
Naturæ Domino non excusabile quidquam;
Omnia namq; implens, jubeat si gramina fari
Possibile est jus omne Deo, cui nemo repugnet.

XXXIII.

Passio Christi pro nobis.

CRedimus, & quod cuncta sciens, ut dixerat ante
Proditus à Juda, captusq; ac victima nostri,
Omnia per mortem vatum prædicta resolvens,
Numine non moriens, tulit in Cruce corpore mortem.

XXXIV.

Cur opportuerit pati Filium Dei in carne?

AT tibi miranti, si durus sermo videtur

Cun-

Cunctorum Dominum passum! dicesq; deinde
Nonnè fuit satiùs, carnis sinè vulnere tutum
Salvavisse homines? Audi; & mysteria dicam.

XXXV.

Caro fuit causa mortis.

CAlcitrasse Deo perverso crimine carnem
Constat, & ipsam animã traxisse in vincula mortis,
Hinc opus ut lethum, quod per consortia carnis
Presserat inde animam, carnis cum morte periret.

XXXVI.

In carne mors tolli debuit.

SUblatâ mortis causâ, mox tollitur & mors;
At caro causa fuit mortis, mors pœnaq; carnis,

Car-

Carneq; contractam voluit qui
perdere mortem;
Carne luenda fuit. Potuit sic
vita renasci.

XXXVII.

*Per qualem personam mors tolli
debuit.*

DEbuit hæc Caro, sed fieri
velut Hostia pura,
Par superare omnem Divino
pondere carnem.
Tali carne pati potuit Deus, at
nisi solus,
Quâ vita ex letho tanquam
Phœnice rediret.

XXXVIII.

*Salvare non potuit nisi Deus
& Homo simul.*

ATq; Redemptoris virtus
quoq; debuit esse
Æqua Creatori, culpâ paritate
solutâ:

Nam-

Namq; creare est par, velut & salvare creata,
Quiq; animam solus potuit dare, & ipse salutem.

XXXIX.

Mortem creatura non potuit tollere à creatura.

VNde creaturis Soboles (nõ ulla profana,
Numinis ast summi) valuit nisi reddere vitam,
Corpore: quæ divo mortales tollere noxas
Sola potens meruit, quod non temerata merentur.

XL.

Pretium redemptionis solus Filius Dei esse valuit.

QUis meliùs potuit Proles ni Diva Parenti
Conciliasse reos excedens crimina? Pignus

Quod

Quod ſuperans pretio mundū
ac viventia mundi
Una morte dedit, cunctis placabile Numen.

XLI.

Figura Agni Paſchalis.

HIc fuit ille Agnus nunquā
maculatus ab ævo,
Sangvine conſperſus, cæſuſq;
ab origine mundi,
Legeq; deſcriptus, ſcelerum
lethiq; medela,
(O quoties dixi) qui nos de
morte redemit!

XLII.

Mors, Limbus, Reſurrectio.

DE Cruce depoſitus, tumulo
deſcendit ad orcum
Solvere ſalvatos tenebris. Victoq; Acheronte
Triduus exanimi mox ſurgens
corpore vivo,

Æternos Superûm valuit duxiſſe triumphos.

XLIII.

Aſcenſio, Spiritus Sancti miſſio, & Corpus Eccleſiæ.

COrpore & in proprio vivens ſuper Æthera ſũptus,
Aſcendit; Divum promittens mittere flamen,
Quod doceat, fideiq́; ferens nova lumina mundo,
Formet opus, fecit; facta eſt Eccleſia corpus.

XLIV.

Sedet ad dexteram Patris, & Iudex venturus.

TUnc Patris ad dexterã Deus idem in carne reſedit
Natus ab æterno, nec motus Numine quidquam;
Venturus tandem completo tempore mundi.

Ritè

Rite bonis, vindexq́; malis ſua
præmia ſolvet.

XLV.

Reſurrectio mortuorum.

NEc dubitare opus eſt quod
corpora cuncta reſurgent.
His oculiſq́; Deum, carne hac-
que videbimus omnes.
Indutas animas; Judex cum
venerit ille,
Cujus tecta latet miſeris mor-
talibus hora.

XLVI.

*Vita æterna & ſalus, obedienti-
bus Dei præceptis.*

NEc minùs æternam poſt
hæc pereuntia vitam
Credimus, hæc cunctos non
præteritura fideles
Certa manet, qui nota Dei
mandata ſequuntur

Hæc dedit ipſe Deus Moyſi.
Quæ talia ſunto.

XLVII.

Decem Præcepta.

SUm Deus, atq; aliud præter me, nè cole Numen.
Sit tibi grande nefas mea nomina ſumere falſo.
Feſta colas, gratuſq; tuos venerare Parentes;
Vivere ſi ſerus cupias: nè cædito quemquam
Furta cave, vetitiſq; thoris procul eſto alienis
Teſtis contra alios, nec ſuggere falſa, malignus.
Nec cupias ſervos, uxorē, vel pecus, aut quod
Alterius videas, alieno nomine gaudens.

XLVIII.

Lex tota duobus in punctis.

Arti-

ARticulo bino Jesus Præcepta reclusit,
Quæ breviùs stringunt animos, & talia sunt hæc:
Corde Deum toto super omnia dilige solum,
Utq; tibi es charus, sit sic & proximus æquè.

XLIX.

Septem peccata mortalia.

CRimina sic etiam, quæ sunt mortalia dicta,
Septem adversa Deo menti inscripsêre Magistri
Vita superba, vorax & avara, & luxuriosa,
Invida, & iracunda, colendo in Numine segnis.

L.

Medicina peccatorum unde?

ASt homini cum sit propior versutia carnis

Obviat his bonitas dans Baptiſma, atq; fatendis,
Criminibus veniæq; modum, ſic fonte ſalutis,
Cordeq; contrito, conſtat medicina reatûs.

LI.

Remiſſio peccatorum.

CRedimus atq; ideò ſcelerũ Indulgentia quid ſit
Divina, atq; in nos ſepteno munere rerum
Gratia deſcendat, quæ Sacramenta vocamus.
Qualia ſic ſeptem nobis Eccleſia tradit.

LII.

Septem Sacramenta.

FOns ſacer, aut aliàs veræ Baptiſma ſalutis
Confirmata fides animo, rituque dicata

Pane,

Pane, meroq́; latens Chriſti cum Sangvine Corpus
Unctio, corq́; luens, Ordo, & Sponſale ligamen.

LIII.

Fides de Eccleſia Sancta.

CRedimus unde etiam, quod ſit Eccleſia Mater,
Verba Redemptoris, ſi non oblita tenemus.
Illi animi obſequium, fideiq́; arbitria cedant,
Jura cui ſupera à Chriſto, atq́; Acherontea ſubſunt.

LIV.

Obedientia Eccleſiæ unde?

NEmo Deum cernet, non auribus hauriet unquam,
Spiritus inſtinctu docet, implens flamine mentes
Flaminis una Tripos Divûq́; Eccleſia vas eſt.

Ergo ritè, Deo quæ ſint placitura, docebit.

LV.

Ratio Eccleſiæ ſubdenda.

NEc noſtrum eſt placitis dubias involvere mentes,
Non errare poteſt ſupero dictante Magiſtro,
Dogmata ſi cæcæ menti malè ſcripta videntur:
Sola dabit tenebris fidei ſubmiſſio lumen.

LVI.

Præcepta Eccleſiæ ſervanda. & qualia?

ARdua nec nobis Præcepta Eccleſia ſcripſit
Luce ſacrâ Miſſæ fas ſemper adeſſe fideles,
Paſchate Carne Deo jungi, crimenq; fateri.
Atq; Exdena Deo Terræ ſua feuda Datori

Reddere, quodq́; æquo de Jure Ecclesia poscit.
Carne nec in Sextis vesci, ferijsq́; Saturni
Nec quadragenis etiam, vigilumq́; diebus,
Nec violare Sacros, quos fert Ecclesia ritus.

LVII.

Sanctorum Communio, & cur Invocatio?

RESTAT Sanctorum communio mente tenenda,
Convenit his animi digna observantia nostri,
Ardenti in Domino, lex est non temnere servos,
Ut, qui mente Deum semper coluêre, colantur.

LVIII.

Honor MARIÆ primus inter Sanctos DEI.

Maxi-

MAxima præ cunctis ſit gloria prima MARIÆ,
Quæ æternam meruit mundo peperiſſe ſalutem,
Hæcq; ſalutanda eſt, atq; imploranda beato
Carmine; quod Divæ cecinit prior Angelus olim.

LIX.

Salutatio Angelica.

AVe plena Deo venerandaq; Virgo MARIA,
Eſt Dominus tecum, tu ſola ex omnibus una,
O benedicta manes! Fructus quoq; ſit benedictus,
Ventris & ille tui pretioſo nomine JESUS
Sancta Maria Dei Mater, quæ non temerata
Cunctorum Dominum, genuiſti corpore Divo,

Con-

Conciliare Deum nobis prece nunc, & in hora
Mortis, & hac fauſtâ, Genitrix dignare Beata.

LX.

Ad fidem pertinent bona opera, & eorum diviſio.

EST operi ſocianda fides, quod diſcere reſtat,
Virtutes Superûm portæ meruêre vocari,
Sunt aliæ, ex iſtis dependet Numinis ardor
Proximus ex alijs, librans Deus inſpicit ambas.

LXI.

Tres Actûs conciliantes ſalutem.

TRes Actûs nobis cæleſtia limina pandunt,
Suntq; Preces, jejuniaq;, atq; Eleemoſyna, tales.
Numen adeſt precibus, frenant jejunia carnem Cri-

Crimina quod nobis perdunt,
Eleemoſyna ſervat.

LXII.

Quomodo Deus orandus?

ORandus Deus eſt in ſimplicitate fideq́; ,
Vtq́; Pater, Dominuſq́; ſimul metuendus, amandus ,
Extat grata Deo brevis, & quâ purior ulla
Quam Chriſtus docuit terras , oratio talis.

LXIII.

Oratio Dominica.

SVmme Pater , cæliſq́; manens ſuper omnia regnans ,
Laus tibi ſola Deo vigeat, nomenq́; perennet ,
Adveniatq́; tuum Regnum ſine fine Beatum.
In cælo, & in terra , fiat tua ſancta voluntas :

Des hodie panem nobis, alimentaq; vitæ
Indulge, ſceleriq; pius ſua debita parce,
Parcimus ut noſtris hic offenſoribus & nos.
Nec ſine tentari fragiles, ſed noxia pelle.

LXIV.

Salutanda Maria, & Confeſſio fidei dicenda.

POſt hæc præfatis precibus venerare Mariam
Credoq; Apoſtolicum, quod Sancta Eccleſia ſanxit,
Adjungas pariter per quod fateare precando.
Quæ credis brevibus punctis, quæ talia ſunto.

LXV.

Credo aliàs Profeſſio, vel Confeſſio Fidei.

Vnum

VNum credo Deum, Summū
sine fine Parentem
Atq; Creatorem cæli terræq;
supremum
Et Christum Jesum Dominū,
natumq; Parentis,
Qui veniens cælis conceptus
Flamine Divo,
Virgine de pura natus Geni-
trice Mariâ,
Passus & infando sub Judice
dira Pilato
In Cruce pro nobis est mor-
tuus, atq; sepultus,
Scendit ad infernum, tumulo
de morte resurgens
Ascendit cælos, solij dextram-
que Paterni
Occupat, inde potens ventu-
rus in omnia Judex,
Flaminis & Numen compar
Natoq; Patriq;.

Pecto-

Pectore confiteor, sit quodq́;
Ecclesia Mater
Vnaq́; Catholica, ac pariter
Communio Divûm
Tum veniam scelerum credo,
atq́; resurgere carnem,
Ac ubi mortale hoc impleto
munere corpus.
Desinet, æternam faciem, vi-
tamq́; perennem.

LXVI.

Opera misericordiæ duplicia.

Sunt opera, ex quorum rati-
one probabimur omnes
Taxatore Deo, bino sub nomi-
ne clausa:
Septem dicta Pia, ac quoq́;
Spiritualia septem
Quæ memoranda bonis descri-
pta hoc ordine disce.

LXVII.

Opera misericordiæ corporalia.

Nudus

NVdus & Esuriens, sitiens, infirmus, inopsq́;,
Veste, cibo, potu, facie, solalamine sortis,
Atq́; Peregrinus tecto, functusq́; sepulchro,
Hi quoties gaudent, toties pia facta patrantur.

LXVIII.

Opera misericordiæ Spiritualia.

COnsilium dubijs, ignaris tradere vera,
Flectere peccantes, præbere levamina mæstis,
Condonare, pati, suffragariq́; precando,
Digna animis opera hæc sunt Spiritualia nostris.

LXIX.

Tres Virtutes Theologicæ, quatuorq́; Morales Cardinales.

TErna Deum tangunt quatuor moralia mentes, Ex

Ex fide, amore, & ſpe, Deus arbiter intima ſpectat,
Juſtitia, & Robur, Frænum, & Prudentia mentis,
Cardineis conjuncta tenent virtutibus orbem.

LXX.

Spiritus Sanctus, & in eum fides opere probanda.

FLaminis hinc Sancti veſtigia quærere fas eſt,
(Spiritus & virtus, ſociata tramite tendunt)
Qualiaq; odit, amet, ſcire hæc non ultima noſtri
Sint animi. Quantoq; fideles munere donet.

LXXI.

Peccata contra Spiritum Sanctum.

CRimina Spiritui Sancto adverſantia ſex ſunt,
Pro quibus eſſe ſolet raro placabile Numen:

Præ-

Præceps de propria mens desperata ſalute,
Salvandi abſq; ullis meritis præſumptio vana
Obſiſtens veris animus manifeſtaq; pugnans,
Invidus alterius virtutum pectore livor,
Obdurata malis animi perverſa voluntas,
Peccatiq; dolor mortis revocatus ad horas.

LXXII.

Dona ſeptem Sancti Spiritûs.

SUnt quoq; digna animis manantia Flamine Divo
Munera; ſeptenis radiꝭs fulgentia menti
Numinis inde Timor, Pietas, Sapientia, Robur,
Intellectus, Conſilium, atq; Scientia rerum.

LXXIII.

Quatuor peccata clamantia vindictam.

EST meminiſſe horror, Quatuor tamen iſta caveto,
Vindictam ſuperûm terris quæ ad ſidera clamant;
Innocuus ſangvis, naturæ adverſa libido:
Fraude ruens merces manuũ, pauperq́; gravatus.

LXXIV.

Quatuor Noviſſima recogitanda.

VLtima jam tandem quatuorq́; Noviſſima dicta,
Et tibi perpetuo monitu reſonantia finem,
Sint: Mors, Judicium, tum Gloria, vel quoq́; Pœna,
Quæ aſſiduò volvens, integrò pectore vives.

FINIS.

INDEX.

Si tibi sit nimium perquirere sparsa Libello?
Invenies totum, breviter tali Indice clausum.

§.

NIl erat. Ipse Creator. Opus, Gratesq; Datori
Noscitur atq; fide, Trinusq; est semper & unus,
In Paradyso factus homo, pulsusq; repente.
Promissus Patribus Christus, Præsagia Vatum,
Tecti Carne Dei, Salvatorisq; Figuræ.
Nuntius Angelico prædicens ore Mariæ
Natus Carne Deus. Non alter Numine quidquam.
Vitaq; Doctrina, & veræ Baptisma salutis. Ver-

Verbaq; de cælis mox teſtificantia Natum.
Diſcipuli JESU, Cœnæ Euchariſtia Divæ.
Sumptio digna, ſalus, fit mors non ritè colenti.
Paſſio, Crux, Tumulus, Salvator morte reſurgens
Aſcenſus, Sedes, Judex, ſurguntq; ſepulti.
Vita perennis adeſt, ſtimulusque, modusq; ſalutis
Juſſaq; Dena Dei. Septenaq; Crimina Lethi.
Eſt venia atq; reis, quot Sacramenta vocamus.
Quæ ſit? Quæ jubeat Præcepta Eccleſia Sancta?
Eſt honor & Sanctis, eſt & Communio Divûm.
Angelicumq quoq; Ave, ac operum tria mente tenenda.

Et Pa-

Et Pater, & Credo, & pia Spiritualia Facta.
Spiritui Sancto ſex adverſantia noxis,
Flaminis atq; ſacri manantia munera ſeptem.
Sunt etiam ſcelerum quatuor penetrantia cælos,
Et quatuor cunctis cogitanda Noviſſima rerum.

AD-

ADVERBIA
MORALIA
Sive
De Virtute & Eortuna
LIBELLUS.

Authore in fine Libri Anagrammaticè expresso

CONSCRIPTUS.

Anno Domini

1666.

EPI-

EPISTOLA
Authoris ad Amicũ.

L*Ibellum prima juventute à me conſcriptum de Virtute & Fortuna, tibi dari poſtulaſti, tranſmitto. Vellem ut illud Sapientis commemores plures libros faciendi non eſt finis.* Adverbia Moralia *titulum Libello dedi, ut enim adverbia ſæpiſſima ſunt verborum nominumq; ligamenta, ita menti quoq; noſtræ, omnem vim energiamq; virtutis continuò ſui uſu cupio ut revocent. Nulla tam brevis loquendi formula eſt, ut ad*

reco-

recogitandam virtutem non sufficiat. Ampla est ad bonum volenti via. Omnia nobis instinctum virtutis suadere possunt benè cupientibus, sanãq; mentem meliori bono flectentibus, & quantò magìs, si nos inter duos sublimes scopulos constitutos esse cogitemus, Virtutem & Fortunam, quorum ille receptaculum nobis est, hic fatum, casusq;. In hoc nobis exercitio vita dilabitur. Et si quando virtutis studio opus est nobis & exẽplis, quàm modernis temporibus? Nunc animis opus est Ænea, nunc

pectore firmo. Vnde non errabimus, si quæ juvenes de virtute conscripsimus, provectiores legamus, non ut verba exerceamus, sed animum, vale.

INDEX Adverbiorum seu Argumentorum Libelli hujus.

I.

Ad, *Originemque conditionemq; humanam exprimit, ejusq; fragilitatem, & docet quod homo natus sit solùm ad bene vivendum.*

II.

In, *Ostendit in quo nobilitas hominis consistat, & in quo perfectum bonum sit, docet.*

III.

Ab, *Demonstrat à Deo omnia esse. Pietatemq; in Deum, omnium virtutum principiū*

 vocat,

ADVER-

ADVERBIUM I.

AD.

Originem conditionemq́ humanam exprimit, ejusq́ fragilitatem, & docet quòd homo natus ſit ſolùm ad bene vivendum.

I.

Ad vos loquor
ô mortales!
Qui ad cognitionem conditionis humanæ (ciſſi,
Velut mutaturi ad fontem narimò ſpeculatores propriæ vilitatis,
ad ſpeculū laborioſæ miſeriæ,
animo acceditis.
En,
Primus ad vitam acceſſus,

ſufficiens ad mortē gradus eſt.
Non priùs
Ad lucem, quàm ad luctum
ad intuitū, quàm ad planctum
oculos aperimus.
Infeliceſq;
ad omne malum nati,
Per lachrymarum fluctus,
ad miſeriarum mare
devehimur.
Ad fortunæ fallacis obſeqium
Adultior ætas nos ducit.
Ad cujus
blandientis malatiam
aſſveſcimus tumidi.
Mox
ad ferocientis procellas
deſveſcimus timidi.
Miſeri,
Quia ad omnem caſum nati;
Miſeriores,
Quia ad vitia proclives;
Miſer-

Miſerrimi,
Quia continui ad mortem peregrini.
O quantus tamen nobis!
Miſeriæ & vilitatis noſtræ, amor ineſt.
Ad habendam ſanitatem quanta cura!
Ad retinendam formam quantus labor!
Ad operiendum corpus quantus ſumptus!
Ad paſcendam carnem quantus appetitus!
Ad implendum ventrem quanta ſitis.
Ad divitias conquirendas quanta cupido!
Ad inania famæ quanta ambitio!
Ad omnia pariter quanta vanitas!

Et tamen ea omnia
Ad quæ nati ſumus, cæca ſunt.
Ad quæ diſcenda tendimus, tarda.
Ad quæ aſſequenda aſpiramus, incerta.
Ad quæ colenda inclinamur, fallacia.
Ad quæ ſpem convertimus, caduca.
Sola ea,
ad quæ fato deſcripti ſumus
Certa nobis, velocia, & immutabilia,
ſuperſunt.
Certa nobis eſt naſcendi origo,
Certa miſeria, certa fragilitas,
Certa infirmitas, certus dolor,
Certus finis, certa corruptio.
Sed
Incerta vita, incerta fortuna,
Incer-

Incerta ſanitas, incertæ opes,
Incerta fama, incerta poſſeſſio,
Incerti amici, incerta poſteritas.
Incerta mortis hora,
& quod ſupereſt
Incerta ſepultura.
uno verbo,
Ad exprimendum totius miſeriæ vanitatis,
& acerbitatis ſimulacrum;
ſatis eſt.
Hominem dixiſſe,
Quid ergo eſt homo?
Animal.
Miſerum, infelix, inquietum,
Sterquilinium naturæ,
Mancipium peccati, Inſtrumentum malitiæ,
Scopulus fortunæ, navis certa naufragij,
& mortis præda certiſſima.

Et vita

Et vita quid eſt?
Alimentum humanæ miſeriæ.
Spongia calamitatis, & vitiorũ,
Flamma concupiſcentiæ,
Fumus, aura, ventus, pulvis, umbra, & nihil.
Ad quid igitur nati ſumus?
Certè
Non ad vitia, nec ad epulas,
Nec ad calices, nec ad ludus,
Nec ad voluptates, nec ad gaudia,
Nec ad choreas, nec ad muſicã,
Nec ad ſplendidos ornatus,
Nec ad colligẽdas opes,
Nec ad ſatiandos poſteros,
Nec ad paſcendos ingratos,
Nec ad victorias inanes,
Nec ad temporaneam famam,
Nec ad cætera caduca, & tranſitoria.
Sed ad quid igitur?
Ad benè vivendum.

ADVERBIUM II.

In.

Oſtendit in quo nobilitas hominis conſiſtat, & in quo perfectum bonum ſit, docet.

II.

In humanis
quicunq; verſamur,
à cæleſtibus removemur.
In mortalibus quicunq; ſperamus,
ab æternis repellimur.
Et dum,
in voluptatibus, quæſitiſq; delicijs (vemus.
indignum, & vile corpus fo-
Animum oh! quanto nobiliorẽ
Nec ullis humanitatis illecebris
(quod

(quod absit) comparandum, contemnimus, & calcamus.

In animo nobilitas inest,
servitute corpori relicta.
In animo dominium,
Æterna mens posuit,
In mancipium corpus elegit.
In animo, (ditur.
radius quidam Divinitatis clau-
In corpore,
Tenebræ & cæcitas,
Omni rationis luce privata
commoratur.
In animo ergo dum versamur,
Nobiles Domini, imò Divini
sumus,
In corporeis dum delectamur,
Servi mancipia, cæci, & tene-
brosi efficimur.
In animo infinitus thesaurus est
Pretiosa illa virtutũ suppellex,
Proxima Deo justitia, infracta
fortitudo, lau-

laudabilis temperantia,
moderatrix prudentia,
& alia innumerabilia,
nulloq; pretio æquanda
cæleſtium gemmarum.
Congeries.
In corpore verò
Quàm horrēda vitiorū venena
nulli contactui ſecura.
Aculeata malitia, infirma fragilitas,
Immoderata concupiſcentia,
cæca præcepſq; ſtultitia,
& cætera illa immenſa virulentaq;,
in excidium virtutis conſpirata caterva.
Elige quæ cupis,
Hic tibi Lydius lapis eſto,
& ſi benè vivere eligis;
Corpus evita,
Ac in animo totus dege,

Sic illo tam fœdo solutus ergastulo,
imò compedibus catenaq́; tui,
à virtutis via te arcente liber eris.
In animo enim vera libertas eſt
In animo vera felicitas manet,
In animo perfectum bonum consiſtit.
Si itaq́; animi perfectus cultor es,
Omnia habes.
In animo Rex es, in animo invictus.
In animo dives,
In animo virtutum sodalis,
In animo vitiorũ triumphator,
In animo gloriosus,
In animo immortalis.
In animo deniq́; proximus Deo.
Quid ergo tibi deeſt?
Quod in animo virtutibus exculto non

non reperias?
Animus autem colitur
In
Exercendo juſtitiam, ſervando pietatem,
Calcando ſuperbiam, conſervando modeſtiam.
In non gaudendo de vanis, non dolendo de adverſis.
In tolerando injurias,
Condonando offenſas, benè faciendo inimicis,
In colendo fidelem amicitiam,
Defendendo veritatem, ſublevando egenos, contemnendo pericula,
In vivẽdo paratus ad mortem.
In his ſi te exerces,
Tunc benè vives,
& beatus es.

ADVER-

ADVERBIUM III.
A ſive AB.

Demonſtrat à Deo omnia eſſe, Pietatemq́ in Deum, omnium virtutum principium vocat, docetq́ quantùm Deo debeamus.

III.

Ab animo.

Totus quicunq; pendere cupis,
depende à Deo
Animus namq; à Deo eſt,
Imò.
Deus eſt animus immortalis,
Mens ſancta & æterna,
Scrutatrix mentium, cordiumque ſapientia.
A quo nihil inſcium,
A quo nihil abſconditum,
A quo

A quo
Animus, ratio, virtus,
Perfectio, lumen, intellectus,
ſummumq́; bonum.
Tanquam à fonte æterno
Inprincipiabili, & intermina-
bili
procedit.
Prima tibi igitur virtus ſit,
Deum recognoſçere, adorare,
totoq́; animo venerari.
A Deo enim eſt,
quidquid eſt.
Quod
Vivis, habes, lætaris, cõſolaris,
A Deo eſt.
Imò
Quod benè agis,
A Deo eſt per gratiam,
Quod malè
A Deo per pœnam.
Conſidera igitur ô mortalis!
Quan-

Quantùm illi debeas,
à quo totus es,
totum habes, totum expectas,
utiq; in mundo multa
Parentibus, Regi, Domino,
Benefactoribus, Amicis debes.
Cur igitur non magìs illi,
Qui ſimul & Pater, & Rex,
Et Dominus, & Benefactor,
imò & amicus tuus eſt.
Ita enim te dilexit, ita adamavit,
Ille Sanctus, & Immortalis Pater;
Ut ſanctificatrices manus ſuâs
humili flexu, ad ignobile lutũ
extenderit.
Teq; creato, & illuminato,
Formam ſui in te,
dein tui in ſe
tranſtulerit.
Ab hoc igitur totũ recognoſce,

ab eo totus depende,
Illum humili & caſto corde
adora,
Illum toto animo,
atq; totis viribus reverere.
Nihil quoq; facere cogita,
Quod à Deo non incipias.
Principium enim perficit opus,
Principium autem omniũ
Deus eſt.
Ergo initium à Deo,
Perfectio eſt operis.
Nunquam meliùs ages,
Quàm ſi Deum adjutorem vo-
caveris;
Artifex cæli & terræ eſt,
imò artifex tui, qui agis,
Ille te,
Movebit in bonis, docebit in
dubijs.
Pro te aget in arduis.
A Deo ergo
Totum

Totum pete, ſpera, incipe,
A Deo enim eſt virtus tua,
A Deo fortitudo, à Deo perfectio,
A Deo gratia, à Deo conſolatio,
A Deo victoria, à Deo gloria.
Unde,
quidquid agis,
A Deo incipe,
& benè
ages.

ADVERBIUM IV.

UT.

Docet æquitatem, juſtitiamq; in omnibus ſervandam, & quod ſinè ea diuturnum nihil eſſe poſſit.

IV.

Ut domus non cadat.

Fundamento opus eſt;
ut mundus non pereat,
Juſtitia & æquitate.
Hac ſublata,
Labile eſt domiciliũ virtutum
Vt ergo,
Virtus orbiſq́; perennet,
Hanc tibi inprimis firmare
oportet.
Illa enim
Eſt ſcutum præſid umq́; vitæ,
Illa Templum, & Sacrarium
virtutum,
Illa deniq́;
Conſervatio, & Robur,
Omnium rerum humanarum
Divinarumq́;,
ut Deus adoretur,
Juſtitia jubet.
Vt lex, juſq́; ſuũ Orbi ſerviat,
Juſtitia exigit,
ut ſecura cuiq́; vita,
Honor,

Honor, virtuſq; maneat illæſa.
Juſtitia defendit,
Vt.
Innocentia, & veritas clara
videatur,
Juſtitia illuſtrat,
Vt ſancta virtus vitijs potior
eligatur.
Juſtitia ſvadet,
Vt deniq;
Felix beataq; vita,
à ſceleribus aliena exerceatur.
Juſtitia commendat efficitq;.
Et ſic,
ad omne bonum beatum,
perfectumq;
Sola juſtitia,
Via, lumen, motivum
Dux Comeſq; eſt.
Rectèq; vocatur,
Lampas Divinæ claritatis,
Per illam enim

Mens æterna
Scrutatur tenebras humanitatis noſtræ,
regitq́; & caſtigat.
Ideo
Quò quis eā perfectiùs exercet
eò propior Deo eſt.
Dicitur quoq́;
Sol omnium virtutum.
Eam enim,
Sol juſtitiæ & veritatis,
Velut ſolem diei, ita virtutibus præpoſuit.
Vtq́; ille ſtellis,
Sic hæc virtutibus prælucet.
Vnde
Sicut Deus eſt ſol inter juſtos,
Sicut ſol, eſt ſol inter ſtellas,
Sicut juſtitia eſt ſol inter virtutes.
Sic & tu inter homines
Si juſtus es, Sol es.

Cæteri tenebræ ſunt, umbra
ſunt.
Perfecta autem Juſtitia,
In hoc vel maximè conſiſtit,
Vt nihil ſtatuas, eligas, jubeas.
Nullamq; legem feras,
Quæ ſit Deo & virtutibus contraria,
Vt primus ſis ad exercenda ea,
quæ in alios ſtatuis.
Iniquum enim eſt,
Statuentem propria lege convinci,
Vt virtutem veram,
Diligas præmies, compenſes
defendas.
Vitia, ſcelera,
Omneſq; exceſſus abomineris,
caſtiges:
Vtrumq;.
Non ex affectu, vel paſſione
aliqua,
Sed ex puro amore virtutis,

& odio ſceleris,
Vt nihil temerè judices,
Nulli parcas ex affectu,
Nullum damnes ex odio.
Totum ex probato, nihil ex
opinato,
Vt veritatem exhibeas,
Omnemq; falſitatem
& mendacium abomineris;
Nè aut innocentia alterius
cadat in condemnationem,
Aut peccatum exaltetur in
gloriam.
Hæc omnia
Vt perfectè juſtus ſis,
Obſervare tibi expedit.
Juſtitia verò
Eſt fundamentum virtutum.
imò virtutum magiſtra,
Per quã ad cæteras exercendas
Facillimam viam invenies.
Per juſtitiam eris bonus,

Nam neminem lædes, nec opprimes.
Eris pius,
Nā reddes Deo, quod Dei eſt.
Eris fortis,
Nam nihil te expugnabit à veritate.
Eris patiens,
Nam ex affectu non judicabis.
Eris temperans,
Nam nihil appetes.
quod non ſit tibi conveniens.
Eris modeſtus & humilis,
Nam judicabis de te quid ſis.
Paucis loquar,
Vt compendium virtutum voceris,
Juſtus eſto.

ADVERBIUM V.
NON.

Fortitudinem animi commendat, & ostendit quàm sit utilis & gloriosa?

V.

Non vis cadere,
munias te animo,
non vis perire,
arma te mente.
Et ad omnia,
quæ cum animo tuo luctantur.
Inexpugnabilem te redde,
Nullum gloriosius est munimentum.
Quàm
Mens infracta & inconcussa,
Non ferro domabilis, non auro vincibilis,

Non ore flexibilis, non metu
frangibilis.
Ad omnia pariter,
animus firmandus eſt,
ut à virtutis,
veritatiſq; cuſtodia,
non moveatur.
Theſaurus incomparabils tibi
eſt
Virtus, & Veritas.
Oh! (ſtra,
quanta erunt adverſus te mon-
quæ te petent,
ut te ab illa repellant.
Quàm multa terrebunt,
ut abſterreant.
Quàm multa movebunt, ut
amoveant.
Tu autem fortis eſto,
Virtutem; & veritatem,
Unicum vitæ tuæ ſolatium,
Unicũ miſeriæ humanæ decus,

Unicum Divinitatis pignus.
Ita animo defende,
Vt
Non bonis, non adversis,
Non auro, non ferro,
Non voluptatibus, non tormentis,
Non pretio, non metu,
ab illa movearis.
Adeo,
Vt etiamsi
Fulmina in te petant,
Maria adversus te insurgant;
Terra contra te pugnet,
Flammæ diram tibi mortem minentur.
Tu autem,
Fortis & firmus,
Constans & immutabilis,
Tanquam petra immobilis.
In colenda tuendaq;
Virtute & veritate,

perſiſtas.
Petent te homines,
Non abeas.
Quærent te munera,
Non cures.
Oppriment te invidiæ,
Non metuas.
Affligent te mala,
Non cedas.
Perſequentur te homines,
Non moveare.
Cruciabunt te tormenta,
Non vacilla.
Virtus namq; & veritas,
in manu Dei ſunt.
Nec quiſquam perire poteſt,
qui ea verè fideliterq;
cuſtodit.
Quia manus Dei eſt cum eo,
Collabi autem non poteſt.
Qui à Deo regitur,
Vide ergo,

Quàm ſecurum te reddere poteſt,
animi tui fortitudo.
Quàm fortem, & infractum.
Solidæ mentis robur,
Quàm audacem.
Omniumq́; malorum contemptorem,
Animus ipſe tuus
Si verè animus eſt ſimplex & purus, (reis
Omnibuſq́; paſſionibus corpo-
Solutus & liber.
Hic ſi talis eſt,
Tuq́; in illo verſaris
Fortis eſto.
Nil metue,
Nam animi incola es,
Cui non quidpiã nocere poteſt
Non illum mors extingvit,
Non vulnus afficit.
Non invidia verberat,

Non flamma adurit,
Non passio torquet,
Non persecutio alterat.
Immortalis enim est,
Nulloq; corporeo malo
Corruptibilis.
Quē tibi nemo auferre potest,
Quia æternus est.
In hoc ergo confide,
Fortemq; & infractū te præbe,
Vt nihil te abstrahat à virtute.
In qua
Omnis vis, fortitudoq; inest.
Nonnè æstimabilis est Clypeus,
Quē missile telū non penetrat?
Nonnè
Laudabile est propugnaculum,
Quod tormentilis globus non
sternit?
Nonnè deniq;
Gloriosa est Civitas,
Quàm hostilis manus non expugnat?

Oh quantò!
Gloriosior est animus,
Virtutis veritatisq; præsidio,
circumseptus,
Fortis, & invincibilis.
Quem
Non illecebræ expugnant,
Non metus prosternunt.
Non adversa penetrant,
Non pretia possident.
Fortalitium virtutum est
Arx gloriæ, & Perfectionis,
Tabernaculũ Divinæ virtutis,
Totiusq; gratiæ,
& summi boni
Fulcrum, & Fundamentum est
Fortitudo.

ADVERBIUM VI.
SED.

Æquanimitas quid ſit, qualisq́; eſſe debeat, docet, & qualiter paſſiones animi tollerandæ?

VI.

Sed quid dices?
Si te continuus adverſorũ ordo
Furens fortuna, inimica paupertas,
Gravis infirmitas, humanum odium.
Inevitabilis calamitas,
Certaq; mortis vexabit formido
Fortaſſe.
Planges, mæſtus eris,
Lachrymas abſterges
Suſpirabis gemendo, ſolatium petes.
De-

Deplorabis effuſo luctu,
miſeræ ſortis immanem conditionem.
Nequaquàm,
abſit ut ea doleas,
quæ curare non debes.
Cave,
Nè ob ea mæreas,
quæ contemni merentur.
Vide ut pro ijs non deſperes,
In quibus ſpes tam fragilis,
tam caduca.
Sed
Quomodò non dolebis,
Si omnia temporanea bona,
Omniaq́; vitæ tuæ ſolatia,
te derelinquent?
Petent vitam inimici,
Falſi teſtes inſurgent,
Iniqui judices damnabunt,
Rapietur tibi honor,
Facultates, opes, pecuniam,
Hoſtis,

Hoſtis, caſus, fur,
auferet.
Domum ignis conſumet,
Parentes, Conjuges, Liberi,
Amici, morientur tibi,
imò inimici evadent.
Prodent, deſerent, oppriment.
Malè de te loquētur homines.
Odia te petent,
Omne deniq; malorum genus,
Vt ſolum affligare,
tibi minabitur.
Quid ages? quid facies?
Ergo
tot malis preſſus vexatuſq;
Adhuc animum cruciabis?
Animum dicam,
Liberum & innocentem.
Qui tibi horum reus non eſt.
Sumes vindictam de eo,
Cum ab alijs læſus ſis,
Opprimes conſolatorē tuum?
Custo-

Custodem tuum feries ?
Medicinam tuam in venenum
transformabis ?
Nequaquam,
lætare ô mortalis !
in exercitio tui,
imò
æmulare cum malis,
Non muta animum,
Idem esto:
Iniquum enim est,
Vt sævienti fortunæ,
Inimicæ tuæ, Belluæ tuæ,
Devoratrici honoris, bono-
rumq; tuorum,
Cum omnia tibi absumpserit,
adhuc illi animum abijcias.
Nil ergo timeas,
Nil doleas.
Cum æquanimẽ te esse deceat,
ac in omni fortuna
pari animo moderari.

Ea enim omnia,
Quæ tam ſollicitè amas,
& ob quæ perdita tantùm af-
fligeris,
nihili ſunt.
Multò nobiliora,
Majoraq; tibi reſtant,
quæ eripi non poſſunt.
Petitur vita tua,
ſed animus adeſt immortalis,
Qui nec mori poteſt, nec pe-
rire,
Obſcurant te contumelijs falſi
teſtes;
Sed veritas clarior eſt ſole,
quàm ſupremum Numen,
cognoſcit & videt.
Damnant te Judices iniqui,
ſed habes æternum,
qui te aliter judicat.
Rapitur tibi honor,
ſed non perit.

Quid

Quid intereſt ?
An in manu tua ſit, vel alterius,
emper tuus eſt, ubicunq; eſt.
Pereunt tibi opes, deſunt facultates,
ſed adſunt majores divitiæ.
Virtus, ars, ingenium,
Prudentia, boniq; mores.
Qui certiores ſunt
ſacquirendarum illarum modi:
moriuntur tibi.
Parentes, Conjunx, Liberi, Amici,
ſed quid ?
Si eò abeunt, quò & tu abibis.
Moritur quidem Parens,
ſed manet tecum,
Supremus omnium Pater,
Æternus & Immortalis.
Moritur Uxor,
ſed vivit virtus.
Melior vitæ ſocia,

Quàm omnes aliæ mortales.
Moriuntur liberi,
ſed reſtant pia, bonaq; opera.
Nobiliores animi tui partus,
Quia æterni ſunt,
& tecum manſuri.
Malè de te loquũtur homines,
ſed tu tacendo,
pejus de illis.
Si rectè agendo, mendaces illos oſtendis.
Habes ergo omnia,
Quæ tibi æquam in adverſis mentem
ſvadere poſſunt.
Æquanimis autem es,
Cum omnia, quæ amas
propter virtutem contemnis.
Nullaq; te cruciant,
Niſi quæ virtuti ſunt inimica.
Ea verò
quæ vana ſunt, ac per ſe peritura

ſpõtè meliùs, libenſq́; proijce.
Nam
Omnia tibi omnes auferre
poſſunt,
ſed
Virtutem nemo.

ADVERBIũ VII.
CUM.

Temperantiam ſvadet, qualiterq́; in deſiderijs & paſſionibus regere ſe homo debeat? docet.

VII.

Cum alijs imperare cupias,
Cave,
Nè primus ſis,
qui tibi obedias.
Cum alijs ſubeſſe nolis,
ſtude

Vt tibi ſolus ſubſis,
Cum alios domare præſumis,
cura,
Vt priùs tibi fræna imponas,
Cum pugnare deſideras,
Conſtringe te priùs,
Vt tecum pugnes.
Cum deniq;
Victor eſſe ambias;
Enitere,
Vt priùs de te triumphes.
Nullum fortius eſt,
Quàm quod ſecum fit præliū.
Nulla glorioſior,
Quàm de ſeipſo victoria.
Vide
Cum quanto ſtudio inimicos
quæris.
Vt de ijs ulciſcaris,
Cum quanto labore acies com-
ponis,
firmas, ordinas,

Vt inimicum confundas.
Cum quanto ſumptu arma conquiris,
Vt infenſo hoſti,
Robuſtum pectus opponas.
Sed ad quid hæc?
aut cui bono?
tot armamentaria vanitatis?
tot gladij inanes?
aut tot vanis ictibus gravidi clypei?
Si inimicũ dum extra debellas,
Intus latet gravior,
& non vides.
Foris Cyclops es, intus Pigmeus:
in campo præliaris,
& domi hoſtem habes,
Quem oppugnare non audes.
Opprimunt te graves
Imò,
Infenſiſſimi inimici,
Præceps ira, mordax odium,
Pu-

Pugnans amor, venenata invi-
Quibus tu, (dia.
Distractus & dilaceratus,
& quasi in se divisus,
Non priùs tecum bellũ incipis,
quàm cedis.
Ipse tu, à te ipso victus,
Spolium tui.
Imò
Captivus, & infame mancipiũ
in triumpho duceris.
Oh!
Turpè & indecorum bellum,
non pugnare & vinci.
Quomodo alios, qui tui non
sunt,
Tuis legibus subdere præsumis?
Si tu ipse,
Qui tui juris esse deberes,
tui non es.
Cogita ergo,) (sit,
Quod bellum eligendum tibi
& quæ

& quæ victoria quærenda.
Tecum tibi res agitur,
non cum quopiam.
Nullus adversior restat hostis,
Quàm tu tibi.
Tecum inprimis præliandum
tibi est,
Victoriam cura,
Affectus tuos,
Qui te cruciant, qui te ligant,
In te vince.
Animum tuum arma,
Vt illum
nullæ internæ penetrent pas-
siones,
Virtutes in acie constitue,
Vt contra illas pugnent.
Et sic gloriosior,
Quàm mille hostium
Victor eris.
Cum ira te vexat,
Voca Prudentiam,
& vin-

& vinces illâ furorem.
Cum
Odium te perſequitur,
utere charitate,
& flectes illâ crudelẽ animum.
Cum deniq́;
Invidia te adurit,
Adhibe generoſitatem,
& crede.
Alios ijs gaudere bonis;
Quæ tu priùs
Contempſiſti.
Sicq́;. Jam
Domitâ irâ, victo odio,
Trænato amore, conculcatâ
invidiâ,
Tecum pacem
ſtabilito.
Proijce laurũ, ſume olivam,
Illáq́;.
Verâ tranquillitatę lætare,
Quæ cum vitijs & affectibus,
Nullo

Nullo lætatur conſortio.
Tunc primùm,
Victor eris.
Tunc Dominus tui,
Tunc
Pacificus animi, mentiſq;
poſſeſſor.
Cum poſitis de te trophæis,
Invictus tibi, & integer videberis.
Tunc demum,
Reſtitutor tui ipſe vocaberis.
Imò Rex,
Triumphator glorioſus,
Veræq; pacis,
& felicitatis,
Civis, & Incola.

ADVERBIUM VIII.

INTER.

Prudentia quid ſit? & in quo conſiſtat? docet.

VIII.

Inter Humana
Verſāti tibi mortali Peregrino,
Cæca & anceps proponitur via,
Miſero viatori, terreno hoſpiti.
Dubio & inexperto,
Infelici & cæco,
Tam obſcurum & fallax,
quis monſtrabit iter?
Inter plana
& ardua, eundum tibi erit.
Quis ſponſor?
Quod inter tot infinitas,
diſper-

dispersasq; semitas
perges securus?
aut ignarus non errabis?
Inter tenebras.
Obscurumq; vitæ Chaos,
pergendum tibi erit,
Inter spinas & aculeos,
Inter saxa, & ignes,
Inter abrupta & aspera,
Inter cæca, & præcipitia.
Inter
Iufinitas animi tui insidias
periculosè transeundum.
Opponentur tibi aspera,
Quæ te à gloriæ,
Virtutisq; via arcebunt.
Adumbrabũt nemora invidiæ,
Umbrosiq; perversi consilij
frutices
Qui tibi
Virtutis semitas intercludent.
Invi-

Invitabunt blanda voluptatis prata,
Quæ ad maria vitiorum, facilem, & amænam viam ostendent.
Allicient cryſtallinæ vanitatis glacies,
Quæ plani ſed lubrici decurſus ſpeciem præſeferent.
Avocabunt excelſi ambitionis montes,
Fulmini & caſui ſacri.
Qui exponent, corruent, & conquaſſabunt.
In quolibet verò
Tam dubij & periculoſi itineris paſſu
multa occurrẽt, quæ placebunt.
Plura quæ abſterrebunt,
Plurima quæ avocabunt;
Infinita,
quæ præcipitabunt.

Sed

Sed oh!
quàm pauca & vix ulla,
quæ verum certumq́;
ad gloriosam virtutem
iter docebunt, & mōstrabunt.
Inter hæc igitur
Tam cæca, & dubiosa,
tam fallacia, & lubrica,
tam incerta, & abscondita,
nè ignarus erres,
aut inexpertus pereas.
Pro lumine tibi sit
Prudentia.
Illa verò beata, puraq́;,
ab omni deceptionis & fallacitatis fuco
soluta & purgata.
Illa sola virtutum ministra,
Lydius lapis boni & mali,
Princeps & Magistra vitæ humanæ,
sine qua

Tanquam ſine lumine,
Nec poſſumus quidquam cognoſcere,
nec quidquam eligere,
nec quidpiam diſcernere,
nec quidpiam reſolvere,
nec quidpiam cavere.
Hæc tibi inter omnia,
Dux, Comes, Cuſtos,
præſidiumq́; erit
imò Angelica, & tutelaris
virtus,
quæ tibi in tam facili
ac dubioſo, viæ vitæq́; curſu
ſemitam & normam oſtendet.
Illa verò
certa & pura,
Prudentia eſt;
quæ verſatur,
ut dictum eſt:
Inter cognoſcendũ, eligendum,
diſcernendum, reſolvendum,
& ca-

& cavendum.
Inprimis ergo
cognoſcenda eſt
Propria conditio, latens defectus,
occaſio exercendæ virtutis.
Cujus rei tempus,
exemplum præteriti,
Poſſibilitas præſentis, neceſſitas futuri,
Aliena merita, & ſua fragilitas.
Eligenda eſt
Virtus ante omnia, utile poſt omnia.
Gratia ſine intereſſe,
Amicitia ſine fuco.
Honor ſine vanitate,
Fortuna ſine periculo,
Diſcernendum eſt.
Inter virtutem & vitium,
Veritatem & mendacium,
Vanitatem & gloriam,

Amicitiam & adulationem,
Malitiam & impotentiam,
Beneficium & neceſſitatem.
Reſolvendum eſt,
Id quod eſt rectum, quod juſtum eſt,
Quod eſt laudabile,
Quod à bonis uſitatum,
Quod eſt diu recollectum,
Quod rectiores ſvadent,
Quod opinio non decipit.
Quod
Pertinacia per vim non expellit,
Quod tempus permittit,
Quod poteſt fieri,
& quod aliter fieri non poteſt.
Cavendum deniq; eſt
Ab occaſione ad vitium,
A judicio temerario,
Ab affectibus intemperatis,
Ab homine mendaci,
Ab ami-

Ab amico ſimulato,
A proprij oris laude,
A commercio perverſorum,
Ab ambitione non ſecura.
Ob otio inani, à petitione importuna,
A medijs violentis,
A ſuſpicione temera,
& à nimia fortuna.
In his ergo
potiſſimùm conſiſtit,
Vera & non fucata Prudentia,
Quæ docet uno verbo.
Eligere inter bonū & malum,
Cognoſcere inter ſe, & alios,
Diſcernere
Inter vera & fucata,
Reſolvere
Inter tuta, & periculoſa,
Cavere
Inter inſidias & fortunas.
Quæ omnia

Propter cognoſcendam, eligendam,
Diſcernendam virtutem,
Cavendum vitium,
Forti animo exerceantur.
Eo modo,
Ut quidquid à nobis agitur,
Prudentia vocetur.
Hæc enim ſola
Lux eſt animi, clavis virtutū,
Pons ſecurus ſuper vitia,
Magiſtra & moderatrix vitæ humanæ.
Ut ſicut inter vitia
Cæca temeritas,
eſt quædam tenebroſa abyſſus;
Ita
Inter virtutes
Præclarum & incomparabile lumen eſt
Prudentia.

ADVERBIUM IX.

SI.

Commendat clementiã, iram, & vindictam condemnat.

IX.

Si ſcires
Quàm inhumanum eſt iraſci,
Nec ſentires, nec faceres injurias.
Si videres?
Quàm immane eſt ulciſci?
Nec redderes, nec reciperes vindictas.
Si cognoſceres,
Quàm indignum ſit damnare.
Nec juberes, nec timeres mori,
At verò ſi crederes.

Quàm

Quàm pium humanumq́; ſit
non commoveri injurijs,
& haberes, & donares quietē.
Si perſpiceres?
Quàm magnanimū ſit parcere,
& faceres, & acciperes gratias.
Si conſiderares?
Quàm glorioſum ſit ſalvare,
& alijs dares, & tibi augeres
vitam.
Nihil magìs infelix, ſervileq́;,
Quā orta ex paſſione ſeveritas.
Nihil æquè feliciùs, Regiumq́;
Quàm fundata in ratione clementia.
Regina hæc, illa ſerva eſt,
Lumen hæc, illa cæcitas
Gratiarum hæc, illa furiarum
filia.
Hæc Divinæ bonitatis,
Illa infernalis malitiæ,
ſpeculum & imago.

Si ira adeſt,
Quies cædit, ira ſequitur.
Si clementia accedit,
Pax floreſcit, concordia colligitur.
Si vindicta ſtruitur,
Offenſa creſcit, odium accenditur.
Si venia ſuperat,
Amor candeſcit, ira extingvitur.
Si ſupplicium paratur,
Inimicus gaudet, proximus moritur.
Si clementia abſolvit,
Hoſtis perit, amicus naſcitur.
Vide ergo
Quàm fædè & ignominiosè ſunt res,
Ira, vindicta, ſupplicium,
Et è contra,
Quàm pulchræ & glorioſæ virtutes,

Benignitas, Venia, Clementia.
Sed tu,
Qui longè ab illis diſtas,
amaraq; ira exacerbatū corpus
tali virtutum dulcore non demulces.
Nihil differs à feris brutiſq;,
niſi quod illis pejùs,
quia deliberatiùs neces.
Imò
ſæpe tibi magìs quàm alijs.
candet immane cor,
ſcintillant flammei oculi,
nunc pallent, nunc rubent,
gravidæ veneno genæ
Pugnis os, ferit manus,
miſera belluinæ iræ inſtrumēta
ad arbitriū impetus fatigantur,
totumq; infelix corpus,
voluntariâ flammâ,
conſumitur.
Hæccine eſt victoria,

Quam de adverſario tuo
obtinere præſumis?
Hæcnè conſolatio ,
Quam in recompenſam
injuriæ tibi factæ
proponis .
O miſerum & infelix ſolatium!
Nondum felicem te arbitraris!
Si (ris,
Priùs de offenſore non ulciſca-
Non putas potentem te eſſe,
ſi inferiori non ſis gravis.
Non credis te poſſe fieri vi-
ctorem , (nas,
ſi priùs de alio non ſumas pœ-
ſi non ſangvinem ſpargas ,
ſi cruore non fœderis ,
ſi ſtrictum gladium
crudeli manu
non evagines.
O quàm graviter falleris !
quàm injuſtè gloriaris ,
quàm

quàm indignè triumphas,
ſi in ijs laudem gloriamq; tuam ſtatuis.
Quæ immanes belluæ, venenatiq; ſcorpiones,
imò viles muſcæ,
& minuti pulices
exequuntur.
In eo verò
Quod Summo conveniens eſt Deo.
Ignominiam tuam arbitraris.
Ac neſcis,
Deum per beneficia cognoſci,
unde & tu,
ſi Deum imitari dignum ducis:
Inimicis condona.
Imò beneficijs vince,
Nunquam gratior Deo es,
quàm
ſi parcis.

ADVERBIUM X.
AD.
Modestiam extollit, superbiam deprimit, & vituperat.

X.

De honore hic agitur,
Qui tibi ut opinor,
tam pretiosus est.
De quo
Suffulto gaudes, perdito doles,
acquisito gloriaris.
De quo
tanta à te spargis,
ab amicis prætendis,
ab inimicis exigis.
De quo deniq;
tam multa speras, plura narras,
plurima fabularis.

De hoc

De hoc dico hic agitur,
tam caro, tam ſollicito,
tam pretioſo.
Zeloſa eſt materia.
De qua tantùm tibi intereſt,
Viſnè ſcire quid ſit?
Dicam.
Ecce
Honor tibi moritur, & taces,
Sed quid dico?
imò propterea exſpirat,
quia nimium loqueris.
Tuo à te veneno decedit,
Tu ipſe Arbiter illius,
Tu Dominus,
tu quoq; homicida.
Arbiter
Quando in illo moderaris,
Dominus,
Quando ille tui,
non tu illius ſervus es.
Homicida,
Quan-

Quando ſuperbia tua occiditur.
Cognoſce ergo,
Quà morte honor tuus moriatur,
Quaq; vita perennare debeat,
diſce.
Superbia mors eſt honoris,
Conſervatio & remedium,
eſt modeſtia.
Illa extollit ut præcipitet,
Hæc humiliat, ut exaltet,
Illa loquitur, ut confundatur,
Hæc ſilet, ut commendetur.
Illa oſtentat, ut contemnatur,
Hæc latet, ut perquiratur.
Superbia, (tiæ,
Eſt vitium tumens, filia ſtulti-
Mater infamiæ.
Modeſtia, (tiæ,
Eſt virtus decora, filia Pruden-
Mater honoris.

Super-

Superbia,
eſt umbra nullitatis,
Cifra vanitatis, mons præci-
pitij,
Abyſſus perditionis.
Modeſtia,
eſt lumen perfectionis,
numerus gloriæ, vallis ſecu-
ritatis,
Porta ſalvationis.
Elige ergo,
ubi tutius honor tuus degat,
& conclude;
Quod domiciliũ illi conſtitues,
Falleris crede mihi.
Si ſuperbiam
Nominis tui præſidiũ arbitraris;
Hoſtis eſt,
Qui te fama ſpoliat.
Fur eſt,
Qui tibi honorem aufert.
Tumulus,

Qui tuam laudem ſepelit.
Laus verò dupliciter oritur,
vel de re, vel de ore.
Si de re,
En plùs acta loquuntur.
Si de ore,
En tot oriũ documenta, quod
hominum.
Satis eſt,
Tu age non loquere,
Ubi virtus, ibi gloria.
Quidquid de te, provenit à te,
non habet fidem.
Nemo mẽdacior de quopiã eſt,
Quàm ſuperbus de ſe.
Utiq; nihil donare, tibi ipſi
potes,
oportet, ut ab alijs habeas
quod donum voces.
Pulcherrlmum autem munus,
Ac pretioſiſſimum tibi eſt
Honor.

Ergo illum
Non à te, ſed ab alijs expecta.
Tace ergo & diſce,
Alios, non te honora,
Et cum minimum de te crederis,
Maximus eris.

ADVERBIUM XI. PROPTER.

Liberalitatem laudat, Beneficia diſtingvit, Ingratitudinem damnat.

XI.

Propter egenos,
Non propter ingratos,
Liberalitas nomen habet.
Nobiliſſima virtus.
Generoſi animi conſors pulcherrima,

Hortus publici ſolatij,
Speculum cæleſti munificentia
fulgens,
& radios gratiarum.
In inferiora repercutiens,
Libera virtus,
liberiſq́; animis digna,
& ex eo liberalitas dicta.
Quia
Non coacta nec ſervilis,
Non intereſſata, nec atterrita,
Sed ex ſe dependens, & libera,
liberè alit quos vult
Fovet, nutrit, felicitat.
Humanamq́; fortunam,
Plenâ virtutis beneficentiâ ſecundat.
Nihil eâ digniùs
animus noſter habet,
quo in ſubjecta ſibi utatur.
Verè aurea eſt virtus,
Felicitatis communis gemma
incomparabilis, The-

Thesaurusq; beneficus,
Virtuti sacer,
Orbi felix, cælo gratus,
Recipienti memorabilis,
Dispensanti gloriosus.
Quisquis ergo es?
quem suprema voluntas
Propter opulentioris fortunæ
abundantiam
in exercitium libertatis
elegit.
Scito,
Thesaurarium te esse cæli,
& in ijs
quibus gaudes divitijs.
Alios tecum partem habere,
Alios autem dico, non omnes.
Quia tantũ liberalitate dignos,
Cælestiumq; gratiarum com-
municationem,
Nullo abusu excipientes.
Opes, divitiæq; quas habes,
Virtu-

Virtuti ſacræ eſſe debent.
Unde
Non niſi ex virtute,
aut propter virtutem,
diſtribuendæ.
Nec gemmæ ante porcos,
Nec beneficia ante indignos
proijcienda.
Ijs tantùm,
quos inimica virtuti egeſtas.
gravi neceſſitate oppreſſos
premit & afficit,
Effusè ſubveniendum eſt;
Miſeris, egenis,
Inter virtutem & fortunam
calamitosè luctantibus
Gratis Generoſis, Modeſtis,
Quos
Aut fortuna ſpoliavit,
Aut invidia conculcavit,
Aut ſaltim debilis naſcēdi ſors,
ab innata pauperie

non vindicavit.
Non verò ijs
Quos inſatiabilis avaritia
Vitioſo opũ anhelitu infectos
Turpiter ſerviliterq; ligat,
& incatenat.
Indignè non ſunt eijciendæ
opes,
ſuperbis, irreplebilibus,
Inter miſeriam
& malignitatem degentibus,
Ingratis, ſervilibus, inhumanis.
Quos
Aut impotentia à vitio retinuit
Aut ſcelus altiùs evexit,
Aut ſufficiens naſcẽdi facultas
Vitijs, non virtuti
commendavit.
His omnibus
Liberalitas non valet,
Peſtes ſunt & venena
ſterquilinia; & immũdæ fæces
Quibus

Quibus ad thesaurum libera-
litatis,
soli virtuti sacratum,
nullus pateat accessus.
Vides
ut sol, aureum cæli sidus,
Thesaurus lucis ,
Beneficus Orbis Planeta,
& communis viventium
Benefactor
Cuncta liberali fæcundoq;
suo luminis radio
fovet & illuminat,
& tamen
non penetrat ingratas terræ
latebras,
nec illuminat voraces ventorũ
indignasq; cælo cavernas:
Non clarescant beneficijs,
qui illa ingratitudine
adumbrant.
Disce igitur

Quē assignes liberalitati gradū.
Tam pretiosa virtus
Non nisi propter dignos
locum habet.
Quam
Vt dignè exercere memineris.
Cornucopias divitiarū tuarum
in publicum effusas
Pro symbolo tibi depinge,
Adde Lemma,
Necessitati & Virtuti.

ADVER-

ADVERBIUM XII.

SEMPER.

Quid ſit conſtantia? oſtendit, & quomodo à pertinacia differat.

XII.

Semper placeat bonum,
Quod ſemel placuit:
Semper diſpliceat malum,
Quod ſemper diſplicuit:
Semper laudet os,
Quod laudandũ ſemel laudavit:
Semper damnet lingva,
Quod damnandum ſemel condemnavit.
Semper perficiat animus,
Quod operandum ſemel propoſuit.

Semper reſpuat mens,
Quod fugiendum ſemel deſeruit.
Virile eſt
Idem ſemper velle, idemq́; nolle,
& quod virtuti ſocium eſt
pro levitate non mutare.
Fulcrum roburq́; virtutis eſt
Conſtantia.
Excelſa moles eſt virtus;
Corruet non ſuffulta.
Perſiſtere oportet,
ut virtus ſit perfecta.
Nunquam glorioſior creſcit
quàm dum perficitur.
Nunquam citiùs perit
Quàm cum deſeritur
Inter hominem & actionem
Virtus vertitur.
Homo perficit opus, Hominem virtus,

Virtutem Conſtantia.
Sed quot quantiq́; ſunt illi?
Quos aura movet, ventus agitat
Fatuuſq́; leviſſimæ fortunæ ignis,
Huc & illuc propellit.
O quanti viles! & infelices
Chamaleontes auræ, Arundines infirmæ
Rotæ ventiles, mobiliaq́; perpetua vanitatis
Quos ſemper inconſtantes,
Aut favor popularis immutat,
Aut aſſentatrix opinio hebetat.
Aut volubilis fortuna circumvoluit.
Aut variabilis pro affectu voluntas
Perpetuò movet, agitatq́;.
Ipſi ſunt ludibria ſibi

Fumi, Plumæ, umbræ volatiles,
Aleæ projectiles,
pro arbitrio leviſſimæ
voluntatis formatæ,
non integri, ſed ſemihomines
miſeri, viles,
indigniq; nomine virorum.
Tam turpia
Dedecoraq́; viro vocabula,
nè inconſtans mereare.
Conſtantiam
In nominis gloriæq́; tuæ baſim
Tibi propone.
Illam verò ſimplicem
Nec
ullo pertinaciæ errore
adumbratam Conſtantiam
Virtutis Fulcrum,
non vitij,
ſemper
Firmam, ſtabilem,
perpetuam, immutabilem,
viri-

virilisq; & digni virtute animi
robur & gloriam.
Cujus
ut perfectus gloriosusq;
cultor evadas;
Disce,
Idem semper esse.
Nihil enim
turpiùs est viro,
quàm in horas mutari.
Constantiam verò
Semper his, maximè in his
Debeto

Deo	in	Fide & amore
Proximo	in	Prosperis & adversis
Verbo	in	Dictis & promissis
Tibi	in	Operibus & voluntate.

In his ergo
Constantiam tuam
Proba, serva, exerce.
Uno verbo
ut per-

ut perfectus vir voceris.
Nihil unquam malum pertinaciter defende:
Omne ſemper bonum, conſtanter tueare.

ADVERBIVM XIII.
ADHUC.

Patientiam malorum remedium eſſe virtutemq; non poſtremam oſtendit.

XIII.

Adhuc tibi reſtat
Patientia,
Egregia virtutum tuarum Epilogus:
ſoror animi invincibilis,
Filia fortitudinis,
& con-

& conſtantioris gloriæ
Fortunæq́; tuæ,
Mater certiſſima.
Hanc in complementum perfectionis tuæ
tibi adſciſce.
Diſce pati,
& temnere adverſa virtus eſt,
& tollerare.
Hæc ſola eſt
Quam æternum Numen
Pro ſigillo gloriæ, & perfectionis cæleſtis
Sibi propoſuit
Quaſi demptum quidpiam virtuti ſuæ ratus
niſi pateretur.
Divina virtus eſt
Quia nimiū hominibus ardua,
eoq́; cæleſtis gratiæ plenior,
Quo humanæ imbecillitati
ad exequendum difficiolior.
Idcir-

Idcirco,
Nihil utiliùs homini eſt
quàm Patientia,
Quia nihil ſæpiùs
Quàm afflictio & anguſtia.
Nonnè vides?
Quàm dura malorum catena
crudeliſſimè te ſtringit,
Graves ſunt tibi compedes
fortunæ?
Adhuc graviores erunt
ſi patientia non alleviat.
Immanes ſentis humani odij
flammas?
Adhuc immaniores ſenties,
ſi illas patientiâ non extingves.
Crudeles tibi videntur
Perſecutiones infenſorum?
Adhuc crudeliores apparebũt,
ſi illas patientiâ non repelles.
Omnia hæc fortitudinem tuam
probant.

Afficiunt ut explorent,
Explorant, an imprimient,
Tangunt, an movebunt,
Pulſant, an penetrabunt.
Percutiunt, an proſtrabunt.
Tu verò
Murus eſto,
Nec probanti molleſcas,
Nec tangenti moveare,
Nec pulſanti cedas,
Nec percutienti ſuccumbas.
Quæ vim non imprimenr in te
reſilient à te.
Cedent adverſa,
& faventiori fortunæ
domicilium relinquent.
Tranquillior redibit
poſt patientiam fortuna,
Et
Quod injuria evertere non
potuit;
Felicitas perficiet.

Patere ergo
Nec adverſis reſponde,
Indignum enim eſt
Ut cum fortuna vociferes;
Quia cum virtute
loqui elegiſti.
Illi ſilentium,
Huic exercitium
debeto.
Ut illam contemnas,
Patientiam elige,
ut illam non ſentias,
Huic conſentias,
ut illam ſuperes,
Huic obtemperes.
Sicq; inter virtutes
Patientiâ coronatus,
Victor & triumphator malorũ
Virtutes felix perficies.
Theſaurumq; perfectionis &
gloriæ,
Hac ultima virtute claudes.

Quæ

Quæ eſt ſcala gloriæ,
Clypeus adverſitatis,
Clades inimicorum,
Victoria malorum.
Et,
Quod pulcherrimum
adhuc reſtat,
Sigillum virtutum,
&
Perfectionis humanæ
eſt,
Patientia.

ADVER-

ADVERBIVM XIV. EX.

Fortunam cum virtute comparat, ejusq́ fallacitatem ostendit, docetq́ quàm parùm illi fidere debeamus.

XIV.

Ex
Templo virtutum,
Ad fortunæ palatium
accedamus.
Ex arduo & ſpinoſo domicilio
Ad facile deliciosũq; theatrum
Gratum oculis, amænũ cordi
Patens acceſſui.
Amplum & majeſtuoſum
Auro gemmiſq́; fulgidum,
ſubli-

ſublimi throno decorum,
Pretioſis opibus circumdatum
Coronis, Sceptris, Purpuriſq;
ſtratum.
Ad cujus allicit aditum
Specioſum Lemma,
Semper & Omnibus.
Ad cujus invitat acceſſum
Aurea ſpes
Florida ſuffulta anchora.
Ad cujus ſtimulat ingreſſum;
Avara opum,
& ambitioſa honorum cupido.
Quid agendum?
Aditus patet, Regia vocat,
Opes invitant, ſpes arridet,
Thronus placet, cupido trahit.
Intrandum nè? an expectandũ?
Tam facilem & amplam viam
Quis impediet?
Tam apertum liberũq; oſtium
Quis occludet?

Tam proficuum & honorabilem ingreſſum
Quis diſſvadebit?
Prudentia,
Speculum virtutis,
Quod manu gerit,
tibi opponet.
In quo
Puris nec infaſcinatis oculis longè diverſa ab his quæ vidiſti diſcernes
Conſpicies horridam, & opacam molem
Magìs anguſto carceri,
Quàm auguſto Palatio comparandam.
In qua
Obcæcata inſanæ plebis caterva
Pleno ambitioſæ cupidinis impetu rabioſa
Vorat ſordes pro opibus,
Scandit glacies pro Throno,
Rapit

Rapit ſpinas pro Sceptris,
Legit compedes pro Coronis.
Et dum his tam falſis
& deceptorijs ſolatijs gaudens,
Immanem benefactricem ſuã,
ſagam & incantantricem,
Nullius Dominam, omnium
Tyrannam,
ſervam, non Reginam,
Belluam, non Fæminam,
Furiam, non gratiam,
Servili genu adorat.
Illa irridens
Calcat miſeros ſervientes
Sordibuſq; non opibus,
Spinis non ſceptris,
Compedibus non coronis
Onuſtos cruciat, & perimit.
Hunc proijcit de Throno,
Illum ſceptro verberat.
Hunc ſpina coronat,
Illum opibus ſuffocat,
Hunc

Hunc invidiæ ungve dilacerat,
Illum aureâ ſtrangulat catenâ.
Hæccine eſt!
Fortunatorum majeſtas?
Hæc nè felicium voluptas,
ſcandunt Thronos, ut jaceant;
Stringunt Sceptra, ut gemant;
Induunt Purpuras, ut deponãt;
Sumunt Coronas, ut pereant;
Portant opes, ut ſuccumbant;
O miſera ſolatia! ô fallaces
ſpes!
O vilem brevemq; fortunam!
vix trahit, & tradit.
Vix afficit, & deficit.
Vix proficit, & proijcit,
Vix exponit, & deponit,
Vix concedit, en recedit.
Inconſtans, incõſtantiſq; animi
Sydus eſt Fortuna
Stella naufragij,
Scopulus ſperantium,
Scilla

Scilla credentium,
Laqueus cupientium,
Navis perverſorum,
Flagellum bonorum,
Vorago Divitum,
Glacies inopum,
Scala peccantium,
Fulmen ambientium.
Fidelis ſcelerum miniſtra
Rebellis virtuti ſerva
Cæca, fallax, mendax, prava,
Præceps, Lubrica,
Inſida, deceptrix,
Virtutis veritatiſq; inimica.
Quot!
Ex Tyrannis Reges fecit,
Ex Regibus ſervos,
Ex perverſis Dominos,
Ex Dominis inſimos,
Ex indignis divites,
Ex divitibus inopes.
Quoties!

Sec-

Scelera evexit,
Virtutes depreſſit,
Malignos adjuvit,
Benignos deſeruit,
Juſtos condemnavit,
Iniquos exaltavit,
Superbos honoravit,
Modeſtos conculcavit,
Avaros donavit,
Generoſos ſpoliavit.
Iniquos triumphis decoravit,
Strenuos clade affecit,
Stultos purpurâ ornavit,
Philoſophos mēdicare cöégit.
O crudelis Fortuna bonis!
Quàm
Iniqua viris præmia diſtribuis.
Hinc mortalis diſce
Fidere cui debeas.
Fallax eſt & lubrica,
Nulli certa, ſingulis diverſa,
Omnibus periculoſa.

Lu-

Ludentem fuge, ridentem
temne,
Magnam fræna, parvā tene,
Longam reſpice, brevem non
dole,
Securam non crede,
Periculoſam non quære,
Velocem time,
Tardam non expecta,
Adverſam tolera,
Nimiam cave,
Tuam cognoſce,
Alienam non invide.
Meliùs enim tibi eſt
Humile cum virtute
Tugurium,
Quàm ſublime
cum Fortuna
Palatium.

AD-

ADVERBIVM XV.
ECCE.

Honorum vanitatem oſtendit, miſeriasq́ magnorum qui à virtute receſſerunt, & in quo verus honor conſiſtat docet.

XV.

Ecce ſublimis & majeſtoſa
moles
Fallax & intolerabile bonum
Illuſtris ſervitus
Pompoſa ruina.
Ecce honos!
Quem vanæ mortal:um turbæ
Quærunt, cupiunt, ambiunt?
Hic

Hic eſt.
Quem fæcunda virtutis
Puraq; ſceleris
ætas contempſit primæva,
Ille eſt.
Jam verò mortalium honores
Quid ſunt?
Niſi umbra.
Quid dignitas?
Niſi adæquatum præmium.
Vanæ ſpei humanæ;
Palliata miſeria,
fomes ſuperbiæ,
Vanitatis ſpeculum,
Scala periculorum,
Aura ambitioſi ſpiritûs
Miſera invidiæ, odiorumq;
vicinia,
Deaurata malorum
ac ſervitutis catena.
Qot honores, tot onera,
Quot dignitates, tot ludicra
Fortunæ,

Quot throni, vel faſtigia,
tot mærores, tot faſtidia,
tot curarum ſemina
tot fulminum objecta,
tot fatorum ſemitæ.
Quiſquamnè honoris ſatur
unquam fuit?
Vaſtum eſt hoc & impenetra-
bile æquor,
Scopulis naufragioq́; ſubjectũ.
Quibus adſunt purpuræ
ijs non deſunt curæ.
Quos honorant nomina,
Eos anxia mens cruciat.
Quos cingit corona,
illos premit invidia.
Simulq́; ſunt iſta,
Odium & Regnum.
Quot Cæſares, Reges, Principes
Tot ſunt ludibria ſortis.
Nemo fuit
Qui verâ ſummi boni cogni-
tione

Vel ſaltim
Felici beatæ vitæ curſu,
vel quod minimum
Secura mentis quiete gauderet.
Bella, Diſcordiæ, Cædes, Rapinæ,
Fraudes, aconita, violataq́; jura.
Hæc plerumq́;
Fiunt vani ſolatia Regni.
Revoca Romanum, Orientiſq́;
Imperium,
Revolves
Plures ferri, quàm ſceptri Dominos,
Plùs cædis, quàm annorum colliges.
Plures dolos, quàm Coronas numerabis.
Videbis terrores illos Orbis,
Nunc vanæ famæ umbræq́: nomina

Misera clade cædibusq́;
disperſa ac deleta.
Magnos olim Cæſares,
Julium crudeliter confoſſum.
Auguſtum veneno extinctum.
Tiberiū pari morte enectum.
Germanicū clandeſtine cæſum.
Claudium toxico ſublatum.
Neronē à ſemetipſo occiſum.
Galbam ex inſidijs trucidatum.
Othonē ſuamet manu ſublatū.
Vitelliū horrēda morte deletū.
Domitianum clam interfectū.
Ælium Aurelium laqueo ſtrangulatum.
Hel. Pertinacem
miſerabili modo occiſum.
Peſcennium pariter trucidatū.
Clodium, à Severo miſere occiſum.
Antonium quoq́;
violentâ morte ſublatum,

Septimium, insidiosè à Fratre occisum,
Macrinum, miserè vitâ privatū
Heliogabalum, dedecorosè necatum.
Alexandrum, immeritò interemptum.
Maximinum, gladio interfectū
Gordianum, laqueo extinctū.
Balbinum, ignominiosè trucidatum.
Philippum fidei causà pariter occisum.
Henricum; hostili gladio percussum,
Trebonianum, Vibium, Æmilianum
variâ morte sublatos.
Aurelianū, in servitute mortuū
Gallienum, à triginta sex Tyrannis crudeliter interēptum.
Saloninum Valerianum

unà cũ Patre miserè interfectũ.
Cassium Posthumum
tyrannicè confossum.
Quintilium, à se ipso pereptũ.
Aurelianum, Tacitum,
à militibus occisos.
Perpetuum Probum, indignè
strangulatum.
Carum sæva morte absumptũ.
Numerianũ crudeliter pereptũ
Carinum gladio occisum.
Diocletianum, à se morte affectum.
Maximianũ suspendio sublatũ.
Galeriũ crudelissimè trucidatũ.
Maxentiũ in Tyberi submersũ.
Licinium miserè pereuntem.
Constantinũ veneno extinctũ.
Constantem itidem occisum.
Decentium à se strangulatum.
Julianũ, in deserto confossum.
Jovinianũ, miserè à fumo suffocatum.

Valentẽ ab hoſtibus exuſtum.
Gratianũ à Maximo interfectũ.
Honorium
Poſt devaſtationem urbis mortuum.
Valentinianũ gladio transfixũ.
Martianum à tumultuarijs occiſum.
Anaſthaſium fulmine ictum.
Mauritium capite truncatum.
Focam immani crudelitate laniatum.
Divum Heraclium
à Machomete expulſum.
Heraclium Filium
Abſciſſis naribus in exilium miſſum.
Conſtantem Palatio præcipitatum.
Juſtinianum interfectum.
Leontium truncatis manibus in carcere excarnificatum.

Tiberium II. ignominiosè occisum.
Philippum fame enectum.
Anasthasium secundum ex Imperio ad Monachismum detrusum.
Constantinum excæcatum & in perpetuos carceres missũ.
Hlotarium in Monasterio mortuum.
Arnolphum morbo pediculari miserè absumptum.
Othonem tertium veneno sublatum.
Henricum mærore animi consumptum.
Fridericum miserè submersũ.
Philippum tertium ignominiosè trucidatum.
Fridericum secundum ex insidijs Filij sublatum.
Adolphum in Civili bello occisum. Al-

Albertum ſcelerata manu peremptum.
Henricum ſecundum
In venenata Euchariſtiæ Hoſtia
ſine exemplo ſublatum.
Fridericum tertium Imperio
privatum.
Ac deinde Carolum V.
Pietate, victorijs, memoria Illuſtrem, poſt conſideratas vivendi regnandiq; ærumnas, traditâ Filio regni curâ, omni vanitate exutum, & privatâ
contentum vitâ.
In hac
Cæſarum, an cæſorum
Serie.
In hac
Imperantium, an pereuntium
Cathalogo
Quàm lubrica ſit honoris via!
Quàm grave ſceptri pondus!

Quàm vanum Coronæ pretium!
tecum cogita.
Quisquam nè Regno gaudet
ô fallax bonum!
Est nè quidquam propius solo
quàm solium?
Est nè quippiam propius cælo
quàm virtus.
Misera vicinitas!
Quo proximiores vanitati sumus,
eo remotiores reddimur virtuti
Et tamen nihil deest
ad usurpandum vanitati.
Nihil superbiæ ad arrogandum.
Ipsi cælo,
Astris, naturæ, Angelis, Superis,
Nomina titulosq́; ademimus.
Serenitatem cælo,
Excellentiam naturæ,

Celſitudinem Aſtris,
Illuſtritatem Soli,
Eminentiam Angelis,
ac demum
Invictam ſuperis potentiam
nobis tribuimus.
Nihilq; jam deeſt
Niſi ut obliti originis
Conditioniſq; humanæ
Immortales nos æternoſq; appellemus.
O inſana ambitio!
Quid prodeſt ô mortalis!
Elatum ſolium, vana nominis
umbra,
Si te prodit origo, obfuſcat
vitium,
Virtus deſerit, Fortuna calcat,
Mors æquat, terraq; ſepelit.
Videri cupis Dominus Regnorum
& ſervus es vitiorum,
Aſcen-

Aſcendere thronos deſideras,
& non vides
ſcabellum te eſſe fortunæ.
Dare jura præſumis,
& neſcis an ea obſerves.
Quæ tibi æternum Numen
præſcripſit;
Placet tibi tiara
Gemmiſq; illuſtre diadema,
Et non cernis
Quàm graves trahat ſecũ curas,
invidaq; odia.
Arrides famulantium turbis,
Et non vides
Fortunæ eos ſuæ, non tibi famulari.
Purpurâ ornari gaudes, veſteque Tiria,
& non doles nudum te eſſe
virtute;
quàm non curas.

Superbis abundis opibus, amplis honoribus
immensis nominibus, titulis, laudibus,
tumescis.
Et ignoras
Quàm proprium sit tumoris premi.
Elati, jacere,
Superbientis calcari.
Crede mihi
Regem non faciunt Sceptra,
non gravida auro Purpura,
Non splendens corona gēmis,
Non vulgi turba tumidi
Virtus regnare facit.
Omnisq; potestas
Virtuti, non Regno servit.
Illeq; est Cæsar
Qui sibi sua Regna tradit.
Cui Virtus Coronam.
Paucis dicam,

Mens

Mens bona Regnum possidet.
Hanc vobis
O Mortales!
Semper æquam, tranquillam
Virtutis sociam, Fortunæ Dominam.
Mentem dico
Veram, optimam, immortalẽ,
& quam
Felicissimo omnium vocabulo
complectar.
Supremæ mentis delicium
ardens voveo.
Is qui
Anagrammaticè
Ambiens nulla Regna posco.
Laus mihi ac Regnum
Sis sola Virtus.

FINIS.

Anagramma

Staniſlaus Lubomirius Magnus Regni Poloniæ Mareſchalcus.
Ambiens Nulla Regna poſco Laus mihi ac Regnum ſis Sola Virtus.

Opuscula
Sacra et
Moralia